



JESUS PATIENS
2
6
470









JESUS PATIENS

Centuria Notarum Theologico-Historico-Criticarum illustratus

à

D. HENRICO MÜLLERO,

Facultatis Theologicæ in Universitate Rostochiensi h. t. DECANO & ad Div. Mariæ Pastore.





ROSTOCHII,
Typis & Impensis JOHANNIS KILII, Universitatis Typg.
ANNO M. DC. LXIX.

Per-Illustris Civitatis Regiæ

RIGÆ

Illustribus & Generosis

DNN.

BURGGRABIO

REGIO & CONSULIBUS

Consultissimis & Excellentissimis

DNN.

SYNDICIS,

Nobilissimis & Amplissimis

DNN.

SENATORIBUS

VIRIS

SUMMIS,

FAUTORIBUS

MAXIMIS

HENRICUS Müllern/

S. P. D.

580





Iceat, ignoto mihi & forte nunquam VOBIS viſo veſtras interpellare curas, VIRI MAXIMI, qui omnium ſomnos veſtrâ vigilantiâ, omnium otium negotio veſtro, omnium delitias veſtrâ induſtriâ, omnium vacationē veſtrâ defenditis occupatione. Liceat, ſine horrore, Vos alloqui Mirabimini fortaſſe, quod, ſpretâ Germaniâ, ad Vos delabatur JESUS hic meus PATIENS, ſed ſi rationes ponderaveritis quæ ſubſunt, exactiùs, non erit ampliùs quod miremini. Venit ad Vos allectus Virtutum

tutum Veſtrarum ſplendore. Certè qui me nôrunt, ſatis poſſunt teſtari, meos mores nimium quantum abhorrere à conſvetudine ſeculi, quâ invitis ſæpè, quin & indignis obtruduntur alloquia, quas DEDICATIONES vocant. Itaque, niſi Virtutum me Veſtrarum ingentiumque in rem literariam meritorum cumulus, ac alia, ſub ſunt, innocui momenta propoſiti, moverent, & nunc & aliàs poteram ſtudio minimè neceſſario superſedere. Verùm-enim verò, poſtquam innotuit orbi etiam noſtro, quanta ſit Veſtra in DEUM Pietas, quantus in religionem verè Chriſtianam affectus, quanta in gubernandis ſubditis prudentia, quantum in literas eosque qui iis excolendis deditis ſunt, ſtudium, non potui non Veſtram ablegare curiam, qui benedictionis fons eſt omnigenæ AMOREM MEUM CRUCIFIXUM. Meretur legi, meretur ſintelligi,

telligi, meretur amari ab omnibus, qui pro omnibus mortem passus est, mortem, inquam, crucis. Illorum inprimis mereatur inseri manibus, qui suprà mortales positi sunt, ut sanctissimâ religione devinciant populum, subditisq; exemplo suo in coelos præmonstrent viam. Magistratus mores sequax utplurimùm imitatur populus. Sint ergò illi sanguine JESU PATIENTIS imbuti; Sic fiet, ut tota Civitas quem colit imitetur SERVATOREM suum. Tales Vos esse, VIRI SUMMI, bonorum omnium contestatur suffragium. Non jam de præclara Vestra in eruditos benevolentiâ loquar, non de curatissimo subditorum regimine, non de aliis, quibus excelletis, virtutibus. Laudes enim has tàm ægrè admittitis, quàm coeteri mortales lubenter audiunt. Quæ major profectò virtus est, modestiâ, quàm ostentando commendari malle. Interim quas

quas ore premo, pectore veneror virtu-
tes vestras, illasque reverentiæ ergà Vos
meæ instigamenta fuisse ingenuè fateor,
paginas hasce GENEROSO VESTRO
NOMINI consecrans unicè, ut publicum
exstet observantissimi mei, quo in Vos fe-
ror, cultus aliquod, etsi pertenue, monu-
mentum.

Sed & compulerunt me eximia illa
beneficia, quæ Cives Vestri in ignotnm
me, certè nunquam visum, præter non
meritum tantùm, sed & Votum omne
meum aliquoties congesserunt benignissi-
mè, quam gratiam merito VOBIS, VIRI
MAGNIFICI, acceptam refero, cùm
quicqud boni faciunt subditi, id edocti
utplurimùm faciant aut voce aut exem-
plo superiorum. Sed & ea Nobilissimum
inter VESTRINGIUM Vestrum meque
animorum est conjunctio, ut vel hoc ipso
nomine obligatum me existimem publi-

ca

ca hac inſcriptione Favorum Veſtrorum ipſi mihique novum procurare augmentum.

Accipite ergò, **VIRI GENEROSI**, hunc, qualiscunque eſt, obſervantiæ ergà Vos meæ, teſtem, ſerenis vultibus, Favoremque Veſtrum, quod unum etiam Vos rogo atque etiam, ſemper mihi conſervate. Ita Vos DEUS ſervet ametque, ac majore indies virtutis felicitatisque incremento Reipublicæ Rigenſi, Mihi, bonisque omnibus diutiſſimè perennare ſinat. Roſtochii, anno natæ Salutis *M. DC. LXIX, d. 20. Julii.*



I.

TORRENS KEDRON.



Quæri satis operosè video ab eruditis, torrens Kidron appellationem suam unde habeat? Torrentem fuisse nemo dubitat, quem χείμαῤῥον vocat Johannes. χείμαῤῥος torrens est, seu ejusmodi fluviolus, qui maximam partem hyeme exeunte ex resolutis nivibus confluxit, & nonnunquam æstate exsiccari potest. Syrus pro πέραν τοῦ χειμάῤῥου habet לעברא דרגלתא *ad transitum pedis*, quod Latinis fuerit, *ad vadum*, seu locum, ubi pedibus per torrentem vadere liceret. *Sic Syris dicitur χείμαῤῥος*, inquit Ludovicus de Dieu, *quia pedibus transiri potest ob exiguam aquæ profunditatem, quæ ex pluviis aquis nata hyeme fluere, æstate exsiccari solet.* Quod tamen non placet Clarissimo Bocharto, qui *Fabulatur*, inquit, *Plutarchus in Libello de fluviis, Ismenum amnem, qui Thebas alluit, appellasse Veteres κάδμου πόδα, quia cum Cadmus dracone cæso sitibundus aquas quæreret, & circà Corycium antrum dextrum pedem in limum altius defixisset, amnis Ismenus subitò exortus est: Nempè*

apud Syros רִגְלָא pes *&* רַגְלָא torrens *iisdem scribuntur literis. Quin & Arabicè* רגלא *est* decursus aquarum. *Hinc factum, ut pro torrente Cadmi, Cadmi pes appellaretur Ismenus, & fabula quam diximus indidem nata est. Et ità capiendum Vocabulum, quo Syrus τὸ χείμαῤῥον hic transtulit.*

Cæterùm torrentem hunc nonnulli sic vocatum volunt à *Cedris*, sine dubio, quia in plerisq; Codicibus apud Joh. legere est *πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων.* Quam Lectionem etiam sequitur Nonnus, vetustissimus Johannis Paraphrastes:

εὐπετέλων ὅθι κέδρων
οἴδματι λυσσήεντι κυλίνδεται ὄμβρος ἀλήτης.
Rapido ubi tumore volvitur vagus imber
cedrorum pulchros stipites habentium.

Illustrem Grotiũ sententiæ huic favere, est quod inprimis miror. Ejus ad p. l. Joh. commentum hoc est; *Græci omnes Codices habent, τῶν κέδρων. Nec aliter in Græca Versione* II. Sam. XV, 23. *Alibi ut* II. Reg. XXIII, 4. *sine articulo, κέδρων, sed ita ut appellativum esse appareat, cùm alioqui Hebræa nomina scribantur cum Accentu in ultima. Accedit, quod Josephus belli Judaici sexto & alibi vallem adsitam κεδρῶνα vocat, quomodo montem Oliveti ἐλαιῶνα, ità ut dubitari non debeat quin cedris consiti fuerint margines hujus torrentis. Nec movere quenquam debet, quod nonnulli monuerunt, Cedros Hebræis dici* ארזים*. Multa enim sunt cedri ità generaliter dictæ genera, & inter ea unum, unde nomen Græcum fluxit* קדרון*, quod extat* Gen. VI. *in Chaldaica Versione, quod Rabbini Nathan & Josua Karchel extulerunt* קדרונה.

At satius est, ut plurium hìc legamus vestigia.
Harm. Ev. l.1.c.20. §.1. Non opponimus Grotio, quam præter alios movet profundæ Eruditionis Vir, Gerardus Joannes Vossius, appel-

lationem

latiönem Cedrorum Hebræam ארזים. Sólidum id enim non eſt. Præter ארז etiam alia dari Cedrorum genera, teſtis eſt R. David. Quò facit, quod apud Talmudicos legitur; R. Jehuda dixit; ארבעה מיני ארזים ארז קתרום ועץ שמן וברוש. *Quatuor genera Cedrorum ſunt: Eres, Cedrus, arbor pinguis & abies.* Ubi rectè monet eruditiſſ. Buxtorffius, malè ת pro ד & ם pro ס ab imperitis vocis Græcæ ſcriptum. Genuina ſcriptio eſt קֶדְרוֹס & ex forma Græca קֶדְרוֹס. Majoris ſanè momenti eſt, quod torrens hîc ab antiquiſſimis quibusvis tàm Hebræis quàm Græcis & Latinis vocatur non Cedri vel Cedrorum, ſed Kedron. De Hebræis res expedita eſt. Præter loca ſuperiùs ab ipſo Grotio allegata, Hebræum Exemplar Hiſtoriæ Judaicæ Venetiis impreſſum concinit his verbis; *Venitq; Titus ad montem Olearum & caſtra metatus eſt ibi è regione Jeruſalem trans torrentem Cedron. Nam torrens ille tranſit inter urbem & inter montem illum, nec ſunt in eo aquæ multæ ſemper.* Joſephus his ſuffragatur; προσέτακτο δ᾽ αὐτοῖς ἀπέχοντας τῶν Ἱεροσολύμων ἓξ σταδίοις στρατοπεδεύσασθαι, κατὰ τὸ ἐλαιῶνα καλούμενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται, μέσῃ φάραγγι βαθείᾳ διειργόμενον, ἣ Κεδρὼν ὠνόμασται. Hieronymus monet, Cedron fuiſſe nomen vallis & torrentis per vallem fluentis. Bocardus terræ ſanctæ αὐτόπτης eum ſic deſcribit; *Infra agrum Hakeldama contra Orientem fluit torrens Cedron, colliguntúrq; in ipſum omnes aquæ, quæ tempore pluviarum in altiora quæq; loca circum adjacentia ab aëre deſcendunt.* Accedit, quod Lignum Cedri, quia eſt jucundi odoris & diu durans, non gaudeat locis humidis & profundis, ſed ſiccis & montanis, unde Libanus Cedris nobilitatus, I. Reg. IV, 33.

Libr. Radic. libr. Roſchhaſchana, fol. 23. 1.

In Lexic. Chald. Talm. Rabbin. ad voc. קדר *p. 1976.*

l. VI, c. 81.

l. V. de Bell. Jud. c. 8.

libr. de loc. Hebraic.

Dixerim ergò, torrentem Kidron appellationem

 ſuam

suam sortitam à *nigredine*. Nam קדר Hebræis est *nigrescere*, & קדרות *nigritia*. Niger autem erat hic amnis, *tùm* propter vallis profunditatem, per quam decurrebat, *tùm* propter arborum copiam, quibus obumbratus fuit, *tùm* propter limum & sordes ex montibus, & urbe in illum profluentes. Videatur Benjamin in Itinerario suo, cum notis defœcatissimi L. Empereur.

Quæ in contrarium molitur Grotius ὁ πάνυ, tanti haud sunt, ut in transversum mentem rapere valeant. Qui consensum Codicum veneramur, quin librariorum calamus etiam in libris sacris describendis labi potuerit, nulli dubitamus. Placet illud Drusii; *Si Propheta errare* *Exerc. in Baron. p. 129.* *non potest, possunt librarii, etiam in libris sacris. Quod miror quosdam tàm pertinaciter negare.* Isaacus Casaubonus, Vir omni laude superior, de hoc loco; *Joh. c. XVIII. v. 1. scribitur à multis seculis*; πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων: *Fere* *In Notis ad Joh. XVIII.* *tamen consentiunt eruditi, illud* τῶν *pro* τοῦ *esse à mala manu.* Cui suffragatur Erasmus Schmidius; *Videtur indoctus aliquis scriba pro* τοῦ κεδρῶν τῶν κέδρων *scripsisse.* Sanè Editio Græcorum Interpp. Romana Basileensi correctior non legit κέδρων, sed κεδρῶν & MS. Alex. τοῦ κέδρων. Nec Josephi locus probat, quod probare debet. Et si maximè probaret, Josephum Josepho opponimus. De quo suprà.

II.
VILLA GETHSEMANE.

Ultra torrentem Kidron situs erat mons Olivarum, & ad pedes montis villa Gethsemane, in cujus Etymo assignando valdè laborant Interpretes. Arias Montanus, *in h. l. Matth.* Linguarum ille Orientalium egregius Vindex, dictum vult *Gansemini, hortum octavum*, ut ex eo fuerit nomen, quia

quia hortus foret octavus ab Hierusalem. Sed, quod pace Viri dixerim, non video, quomodo conveniant Gethsemane & Gansemini. Caninius interpretatur *pecuaria butyri*, ac si locus à copia butyri nomen nactus fuerit. Quam Etymologiam probat Vir de literaturâ Hebraicâ benè meritus, Schindlerus. Hieronymus videtur legisse גיא שמנים. Ita enim ad Jer. 31. commentatur; *Locus in quo comprehensus est Dominus, vocatur Gesemani, quod in Lingua nostra* vallem pingvedinis *notat.* Quod etiam placere video Clarissimo Vossio, qui, γεθσημανῆ, inquit, גיא־שמנים *Es. XXIIX. I. Hebræis notat* vallem pingvem. Sed geminum Vir alioquin Doctissimus errat errorem. Nam primò, locus ille, de quo apud Prophetam, non est prope Jerusalem, sed in tribu Ephraim, adeoque eo nomine περιφραστικῶς innuitur *S*amaria, cujus vallis monti subjecta erat olei feracissima, unde illi id nomen à Propheta est inditum. Deindè ex גיא non potest fieri גת. Drusii Conjectura hæc est: *Syrus habet* גרסמן. *Ex eo conjicio, scriptum aliquando fuisse* גי רשמני. *Et postea* ד *in* ת *mutatum esse culpâ librariorum.* גי Vallis, רשמני pingvium, *seu* pingvedinum, *ab ubertate soli sic dicta fortasse.* Sed conjectura mera est, nec ipsi Drusio satis probata, Unde, *Hoc pono*, addit, *non statuo.* Mihi præ omnibus placet sententia Capelli, qui nomen vult esse Hebraicum, גת שמני *Torcular olei,* seu Locus torcularium oleaceorum ad basin oliveti. Pro Patach tsere positum, quia in punctis assignandis, & permutandis, quando Lingua una ab alia nomina mutuabatur, magna olim erat libertas. Convenit hæc appellationis ratio cum mysterio per Prophetam insinuato, *Esai. LXIII, 3.* Videtur etiam hoc intendisse David, quando suum de-

de Voc. Hebr. N.T.

ad voc. גת.

l. c.

ad Voc. N.T. p. 73.

profundissima Christi exinanitione vaticinium inscribit, על הגתית *Ps. VIII.*

III.

LUCTA CHRISTI PATIENTIS.

Gravitatem passionis Dominicæ tùm Evangelistarum verba exprimunt, tùm ipsius Christi. Evangelistæ Matthæus & Marcus inquiunt, cepisse Christum λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, Lucas addit, fuisse in ἀγωνίᾳ. Origenes verbo ἤρξατο deceptus tristitiam Christi valdè extenuat. *Cepit*, inquit, *pavere vel tristari, nihil amplius pavoris vel tristitiæ patiens nisi principium tantum. Nec enim scriptum est, quod tristatus est, sed quod cepit tristari.* Hieronymus quoque inter προπάθειαν & πάθος distinguit, & Christo non completam, sed inchoatam tribuit tristitiam. Sed obstat, quod Dominus ipse animam suam dicat esse περίλυπον, & quidem letaliter, item quod de grumis sanguinis refertur, & Angelo ad confortandum misso. Distinctionem inter passionem & propassionem hic impertinentem esse Maldonatus ostendit. Certè verbum ἄρχομαι non semper habet significationem primùm inchoandi, sed sæpè significat illud ipsum facere, quod verbum appositum innuit *Act. I, 1.* Nec ab Hellenistis id mutuò sumtum, uti quidem vult Heinsius, sed purè Græcum est, ut ex Autoribus probatissimis satis ostendi potest. Xenophon Hellen. 4. ἤρξατο λόγου ὁ Φαρνάβαζος, καὶ γὰρ ἦν πρεσβύτερος, *sermonem habuit Pharnabazus, cùm esset senior:* Non quod initium loquendi tantùm fecerit, quia cæteris senior erat, sed quod hanc ipsam ob causam partes loquendi in se susceperit. Pindarus Ol. 5. α. 4. Ἀρχομένους

Tract. 35. in Matth. — *In Matth. c. XXVI.* — *In Matth. XXVI.* — *Ad Act. I, 1.*

μένους ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές, quod fieri non poteſt in inchoando, ſed continuando, imò ferè complendo opere. Homerus Iliad. δ. 335. καὶ ἄρξειαν πολέμοιο, quod vertendum eſt, *bellum gerant*. Neque enim eo tempore primùm fiebat belli initium, quod in decimum jam annum continuabatur. Simile quid occurrit in nomine ἀρχῆς apud Plutarchum; ὧν ἂν τὴν ἀρχὴν τῆς σπορᾶς οἱ πατέρες ἐν μέθῃ ποιησάμενοι τύχωσιν pro ὧν σποράν ποιήσωσι. Neque enim vel conceptio vel generatio diſcrimen temporis inter initium & finem admittit, qvum fiat in inſtanti. Nec Latinis hic loquendi modus planè inſolens. Certè Plautus Bacchid. Act. 2. *infictas ire cepit*, dixit pro, *inficiatus eſt*. Non tamen ly ἤρξατο *h. l.* eſt ſine emphaſi. Innuit enim, Chriſtum qvùm antea mæſtus non eſſet, nec mœrorem præ ſe ferret ullum, ſponté ſua triſtitiam illam ſuſcepiſſe. Nempe cum jam inſtaret mors & λύτρον pro genere humano perſolvendum eſſet, non neceſſitate ſed voluntate Salvator, cum voluit, & quam diu voluit, paſſiones admiſit, quas, ſi voluiſſet, excludere potuiſſet. Non diſſimile eſt, quod *Joh. XI. 33.* de Chriſto dicitur, quod ἐτάραξεν ἑαυτὸν, *turbaverit ſeipſum*, quando in funere Lazari mutatione vultus animi affectum indicavit. παιδ. ἀγ.

Inter verba, quibus Paſſio Salvatoris notatur, maximè emphatica ſunt duo, ἀδημονεῖν & ἀγωνιᾶν. Illud apud Matthæum & Marcum, hoc apud Lucam legitur. Ἀδημονεῖν nonnulli ab α & δῆμος deducunt, ut ſit extra conſortium populi vivere, quod lugentium proprium eſſe vult Poëta,

Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitans.

Sed rectius derivatur ab ἀδέω, quod propriè eſt *tædio ex laſſitudine affici*, & generaliùs *quocunque modo moleſtias pati*.

Inde verbale ὁ,ἡ ἀδημῶν, *qui* habitualiter & continuè *molestias sentit*, adeò ut præ dolore animi concidat, & nimiâ dolorum abundantiâ tantùm non intereat. Quod nomen ἀδήμων etsi in usu non invenitur, analogicè tamen à præterito ἤδημαι formatur, & ut alia verba in μων habitum ac abundantiam notat. Ἀδημονεῖν Suidæ est λίαν λυπεῖσθαι, quod non exhaurit vim verbi. Hesychio, cujus gravior

Ad Iliad K. auctoritas, ἀγωνιᾷν, *cum animi angoribus luctari*. Eusthatius Etymon respiciens exponit, ἀλύειν καὶ ἀμηχανεῖν, nimiâ quasi doloris satietate fatiscere & concidere, omnisque consilii inopem esse. Paulus usurpat de Epaphrodito ad mortem usq; infirmato *Phil. II, 26.* Quomodo etiam apud Hippocratem ii qui in morbo letali sunt constituti, dicuntur ἀδήμονες. Cum Hesychio facit, quod Lucas scribit,

In Probl. Christum fuisse ἐν ἀγωνίᾳ. Aristoteli ἀγωνία est *timor, quo percellitur opus aggressurus*. Apud Hesychium notat *palæstram* & *bellum*. Propriè significat æstuationem animi in eo, qui in certamen descensurus est, & ut Laertius ait, φόβον ἀδήλου πράγματος, vel ut Damascenus, φόβον διαπτώσεως ἤγουν ἀποτυχίας. φοβούμενοι γὰρ ἀποτυχεῖν τῆς πράξεως, ἀγωνιῶμεν. Putat Gerhardus, Theologus cœteroquin maximus, significationem hanc huc non quadrare, qvùm Christo probè constiterit, se laboris sui fructu haud frustratum iri. Verùm quid adversetur, quò minus Christi ἀγωνία μετὰ φόβου ἀποτυχίας conjuncta dici queat, haud penetro. Etiamsi enim ratione effecti, seu redemptionis generis humani frustratio nulla metuenda foret, certè ratione fruitionis illius effecti non poterat Servatori esse ignota, quandoquidem omniscientia sua prævidit, maximam generis humani partem hoc λύτρῳ sufficientissimè præstito propriâ suâ culpâ non fruituram.

Lib. 2. Orth. fid. c. 15.

Harm. Pass. c. I, p. 16, b.

Hæc

IX.

Hæc Evangeliſtarum verba ſunt. At ipſe Chriſtus περίλυπος, inquit, ἐστιν ψυχή μου ἕως θανάτου. Video Bezam, Gomarum, aliosve τὸ περίλυπος ex præpoſitione περὶ deducere, eiq́; intendendi ſignificationem tribuere. Sed, quod advertit Erasmus Schmidius, næ graviter errant! Adverbium πέρι, non præpoſitio περὶ vim habet imprægnandi ſignificatum. Atq́; ex hoc Adverbio πέρι eſt Latinorum *per* in compoſitione ſimiliter augens, ut in *perſcitus, perdoctus, perpulcher*. Græcum πέρι ſignificat *excellenter, admodum, valdè, nimis*, Odyſſ. γ. 112. πέρι θείειν ταχὺς *admodum currendo celer*. Odyſſ β 88. πέρι κέρδεα οἶδεν, *dolos excellenter novit*. Hinc περίλυπος *admodum triſtis*. Ariſtoteles καὶ ὅτι, inquit, εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, ὅτι ἀτυχῶν περίλυπος. *Neq; in ſecundis valde lætus erit, neq; in adverſis valdè triſtis*. Malè Beza, περίλυπος, *undiquaque triſtis*, quod Gerhardus περιφράζει, *undiq; mærore obſeſſa & circumvallata, ità ut nullus pateat exitus*. Sic enim à præpoſ. περὶ, non adverb. πέρι deducendum foret Vocabulum. Concinniùs vertas, *pertriſtis*, vel ut ipſe Beza, *Marc. VI, 26. valdè triſtis*. Non verò eſt cur litem moveamus Veteri vertenti, *triſtis eſt*. Haud enim opus eſt, ut vim compoſitionis curioſiùs hic expendamus, cum qualis, & quam vehemens fuerit triſtitia abundè doceant quæ proximè ſeqvuntur, *usq; ad mortem*. Poteſtne enim ulla triſtitia eſſe major, quàm quæ nonniſi morte ipſâ finiatur, vel, quæ mortem ipſam ob oculos ponat? Cæterum errant, qui ἕως hic pro temporis limite accipiunt. Hilarius, Origenes & Hieronymus quidem triſtitiæ terminum hic indicari volunt, ſed antecedentia cum conſequentibus ſatis apertè evincunt, ly ἕως non tàm *extenſive*, ſeu de duratione, quàm *intenſivè*, ſeu de magnitudine

ad h. l.

3. l. IV. Eth.

Can. 31. in Mat. Tr. 35. in Mat. in c. XXVI. Mat.

B

gnitudine dolorum accipiendum. Huc facit, quod Evthymius exponit ἕως θανάτου, h.e. *prout videmus in moribundis.* Nec ejusmodi loquendi genus scriptoribus sacris insolitum. Sanè *Es. XXXVIII, 1.* de Ezechia dicitur, quod ægrotaverit usq; ad mortem, ἕως θανάτου, ut habent LXX. seniores, non quod ea ægritudo ad mortem usq; duraverit, sed quod fuerit gravissima, imò letalis. Hinc Aquila τὸ ἀποθανεῖν, **tödtlich kranck**/ quomodo Lutherus parallelam phrasin vertit *Phil. II, 27.* Sic *Jon IV, 9.* dicitur Jonas iratus fuisse usq; ad mortem, hoc est, **er hat sich schier zu Tode geeyffert.**

Animæ suæ Servator dùm meminit, se corporis non tantùm, sed & animi cruciatus longè gravissimos sentire satis innuit apertè. Quod & ex ipsis Pontificiis Ferus agnoscunt & Maldonatus, quorum ille ad ista Joh. XII, 27. Nunc anima mea turbata est & quid dicam? *In seipso,* inquit, *exprimit formam tentati hominis, qui nunc hoc, nunc illud cogitat, nunc bona, nunc mala sibi proponit, nescit quò se vertat:* Hic verò Matthæi verba sic μετεφράζει, *Ita vehementis discriminis objecti metu angi, ut quodammodo exanimus & attonitus sit.*

IV.
ORATIO CHRISTI LUCTANTIS.

In Oratione CHRISTI tria considerantur, *Persona* quam orat, *Res* quam orat, & *Modus* seu conditio quâ orat. Invocatur Pater appellatione hâc blandâ, *Abba Pater.* Abba Syrum aut Hebræum esse vocabulum communis ferè eruditorum omnium est sententia. Mihi verosimilius fit, quod contendunt Viri Magni Hugo Grotius

& Lud. Capellus, esse origine *Græcum*, in familiaribus ac blandioribus compellationibus usitatũ. Allatu digna sunt, quæ eam in rem, etsi aliquantò prolixius, habet Capellus; Omnes, inquit, quod sciam, interpretes ita accipiunt hanc compellationem, quasi ἀββᾶ esset vox Syriaca à Christo usurpata in illa Patris sui invocatione, cui ab Evangelista subjecta sit vox Græca πατὴρ, tanquam exegetica illius. Sed dilutiùs videtur ut in ejusmodi blanda & perfamiliari filii ad patrem compellatione, & vehementi invocatione, voci peregrinæ quidem sed notissimæ, imò verò ne peregrinæ quidem subjiciatur ἐξηγητικῶς vox alia Græca; sic enim amittitur atq; diluitur vis, gratia & venustas tàm blandæ & familiaris compellationis. Rectius forte videri possit, si dicamus eam esse Græcis notissimam formulam, qua filii parentes blandè & familiariter compellabant. Quod hinc confirmari posse videtur. Prima vox quam pueri enituntur, quâ Patrem compellant, est *Papa*, Græcorum etiam & Latinorum puerulis notissima, unde & παππάζειν apud Homer. vox est puerorum Patrem παπᾶ compellantium Iliad. E. ἐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσι, hoc est, uti exponit Interpres, πάππα φωνοῦσι, πατέρα καλοῦσι. Hoc Latini dicunt *Pappare*, apud Persium Sat. III.

Et similis Regum pueris pappare minutum
poscis.

Pappare isthic est patrem blandè & ὑποκοριστικῶς *papa* vocare, quod Nobilium maximè & regum pueri solebant. Jam quemadmodum infantes primùm loqui nitentes πάππα patrem vocabant, sic etiam abjectâ primâ literâ ἄππα dixêre, ut & ἄττα ex τατᾶ factum. De *Papa* jam dictum est. De ἄττα notum est ex Iliad. θ. φοῖνιξ ἄττα γεραιὲ.

Verba sunt Achillis Phœnicem se seniorem honoris causâ Patrem ὑποκοϱιστικῶς vocantis. De *Mamma* atq; *Tata* notum est Martialis Epigramma,

Mammas atq; Tatas babet Afra, sed ipsa Tatarum
Dici & Mammarum maxima Mamma potest.

De voce ἄππα, quod patrem etiam Græcorum pueris sonaverit, liquet ex vocibus illi affinibus ἀπφὰ, ἀπφὺς, ἀπφία & ἀπφάριον, quibus & pueri parentes', & frater fratrem, soror sororem ὑποκοϱιστικῶς appellabant. Apud Suidam Ἄπφα est fratris vel sororis ὑποκόϱισμα, & Eusthatius notat, sororem à sorore vocari ἀπφὰν καθ' ὑποκοϱισμὸν, & ἀπφὺς apud Theocritum est pater. Apud Callimachum Hymno in Dianam vers. VI. Diana inducitur tanquam Virguncula ludens adhuc in Patris Jovis sinu eumq; ὑποκοϱιστικῶς nominans ἀππά. Ab hac voce Latini formârunt *Aba*, atq; inde verbum *abare* apud Ausonium *Epistol. ad Patrem*, pro ἀδελφίζειν, hoc est, *compellare aliquem blandè, ceu frater fratrem.* Et certè vox Latina *Avus* pro *Abus* (undè *abavus atavus*) videtur omninò deducta ab illo antiquo *Aba* vel *Abba*, & hoc ex Græco illo ἀππὰ vel etiam ἀββὰ. Ex his videre est, illud ἀββᾶ ὁ πατὴρ formulam esse græcorum pueris familiarem, quâ patrem blandè & quâ inferiores superiores, honoris & amoris testandi ergò, compellabant. Hactenus Capellus. Objicies 1. aliud est ἄππα, aliud ἀββᾶ. 2. sic dicendum fuisset, non ὁ πατὴρ sed πάτερ. 3. Christus non Græcè, sed Syriacè locutus est, 4. videtur puerilis ista compellatio Christo indigna, nec in tanto agone constituto conveniens fuisse. 5. Non scribitur Ἀββᾶ πάτερ, sed ἀββᾶ ὁ πατὴρ, ubi supplendum videtur ὅτι, ut sit, ἀββᾶ, ὅ ἐστι πατὴρ, ut alterum sit alterius ἐξηγητικὸν, vox Græca Syriacæ.

Sed

Sed Resp. ad 1. Facilis est literarum P. & B. permutatio. Fortassis etiam tum receptum fuit, ut ἀββᾶ pro ἀππᾶ diceretur, quemadmodum conjicere licet ex illo Ausonii *Abbare*. Credi etiam potest, scriptores sacros ἀββᾶ pro ἀππᾶ adhibuisse, quod illa vox propius referat Syriacum אבא, quâ linguâ Christus est locutus. Ad 2. Nominativus pro Vocativo sæpius ponitur per Atticismum. Sic quod Matthæus *c. XXVII, 46.* in Vocativo effert, θεέ μȣ, θεέ μȣ, Marcus *c. XV. 34.* more Attico per nominativum exprimit, ὁ θεός μȣ, ὁ θεός μȣ. Possumus etiam subaudire ὤν. ὁ ὤν πατὴρ. Ad 3. Evangelista non retulit ipsas voces Syriacas, quibus Christus patrem compellavit, sed earum sensum Græcè, quâ linguâ ipse scripsit, expressit. Videntur, inquit Grotius, Hebræi, Græco utentes sermone retinuisse hanc vocem, quia naturaliter pueri eo sono patres salutant. Ad 4. Ejusmodi formulam non fuisse pueris tantùm usurpatam, verùm etiam à grandioribus erga superiores suos, quos reverentiæ ergò sic compellabant quasi patres, ostensum suprà fuit exemplo Achillis apud Homerum Phœnicem senem sic compellantis, Φοῖνιξ ἄττα γεραιὲ. Ad 5. Cum voces exoticæ in N. T. Græcis vocibus explicantur, nunquam simpliciter dicitur ὁ absq; verbo ἐστι, sed semper additur vel ὅ ἐστι, vel quod communius, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον. Si quæras, cur in compellatione hâc vox Patris geminetur? Resp. fieri id adfectus testandi causâ. Simile illud ναὶ ἀμὴν. *Apoc. I. 6.* Insuper Christus hâc geminatione & periculi magnitudinem & necessitatem auxilii sibi præstandi significat, sicut qui angustiis pressi idem sæpiùs ingeminant, & si quem inclamant, iterum atq; iterum inclamant, quò ad misericordiam faciliùs excitent, *I. Reg. XVIII, 27.* In ejus-

modi geminatione vox posterior imprægnat priorem & quasi causam addit; *Pater*, *Pater*, h.e. Pater exaudi me, imò ideò quia Pater es, exaudi me. Quod eleganter expressit Syrus, אבא אבי, *Pater*, *pater mi*. Ubi illud MI majorem fiduciam declarat, vehementiúsq; movet. Quandoquidem simul ostendit, quod singulari ratione sit Dei filius, videl. non per gratiam tantum, sed & per naturam.

Res, quæ oratur, continetur his verbis, *παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο*, *Transeat à me poculum hoc*. Gravior ærumna, quod monet Camero, Calicis nomine à Prophetis notari solet: ferè enim usu venit, ut quæ sunt molesta & dura ea dum exaggeramus, significemus veluti per ironiam earũ rerum vocabulis, quæ in vita suavia sunt & jucunda, unde etiam Lavacrum eâdem notione usurpatur. Certè Christus utroq; nomine tùm poculi, tùm lavacri usus est *Matth. XX, 22.* Cæterùm Tralatio undè sit, non usquequaque convenit. Sunt, qui arbitrentur peti eam à calice Medicorum, quo sua miscent pharmaca. Hæc enim ingrata esse palato & turbare corpus solent. At verò qui loca attenderit, ubi Scriptura poculi hujusmodi meminerit, facile penetrabit, tralationem peti à calice inebriante, qui homines sic reddit impotes sui, ut nec caput, nec pedes officium faciant, sese ludibrio omnium exponant, multa etiam pœnis gravissimis digna designent. Quid enim apertius verbis *Psalm. LXXV, 9. Jer. XXV, 15. Ezech XXIII, 31.* Cl. Vossius huc accommodat loquendi formam usurpatam Comico Casina Act. V. sc. 2. *Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet*, similemq; locutionem Belgarum, **Ghy sult van't eygen Sop hebben.**

Harm. Pass. l. 1. c. 2.

Conditio quâ orat Christus, subjicitur his verbis; *Si possibile est.* Potentiæ divinæ objiciuntur omnia ea, quæ non sunt absolutè impossibilia. Impossibilia a. absolutè sunt, quæ Deus velle non potest vel ratione potẽtiæ, vel ratione objecti, vel ratione utriusq;. Ratione potentiæ velle non potest, quæ naturæ suæ sunt contraria vel simpliciter, vel secundùm quid. Simpliciter divinæ naturæ sunt contraria, quæ ipsam evertunt. Sic Deus non potest falli, quia hoc repugnat infinitæ ejus sapientiæ; non potest peccare, quia hoc evertit sanctitatem ejus; non potest mentiri, quia tunc non esset verax, & deficeret à prima veritate, atque ità à seipso; non potest peccatorem absq; satisfactione & illius applicatione impunitum dimittere, nec potest non-peccatorem damnare, quia hoc est contra ipsius justitiam. Secundùm quid naturæ divinæ sunt contraria, quædam quoad certum agendi modum, quædam quà certam hypothesin. Priori modo Deus actus naturales in seipso exercere non potest. v. g. edere, bibere, ambulare, dormire, loqui &c. Posteriori modo impossibiles Deo sunt actus, quos decrevit non-facere, & quorum contrarium prædixit, promisit aut comminatus est se facturum v. g. Deum non judicaturum mundum, credentibus vitam æternam denegaturum &c. Impossibilia Deo ratione objecti sunt, quæ destruunt essentiam objecti. Hoc modo Deus non potest facere creaturam absque relatione ad seipsum: creatum enim necessariò refertur ad creatorem, tanquam dependens ad id à quo dependet. Impossibilia Deo ratione utriusq; & potentiæ & objecti sunt, quæ utriusq; essentiæ simul repugnant. Hoc modo DEUS non potest producere effectum numero aut magnitudine

ne

ne infinitum. Nam effectus universi natura est, ut sit finitus, & si produceret divina potentia effectum infinitum, destrueretur ejus essentia, & illa fieret finita, quia nihil amplius producere posset, quod effectui isti adjiceret. Sed consequens est absurdū; infinita enim potentia in infinitum procedere apta est, neque unquam eò devenire potest, ubi sistere cogatur propter suum defectum. Cæterùm probè observandum est, quod ea, quæ sunt absolutè impossibilia Deus facere nequeat, non propter defectum suæ potentiæ, sed propter defectum possibilis.

p.I.qu.XXV. a.3. Hinc rectè monet Thomas, aptiùs dici, contradictoria non posse fieri à DEO, quàm, DEUM non posse ea facere, cum causa ut fieri non possint, non sit à parte DEI, sed à parte impossibilium, quorum naturæ τὸ fieri repugnat. Illustrat hoc tali simili Armandus de Bello Visu;

Tract. II. Term.c.9. *Magister in Theologia de potentia absoluta potest docere Theologiam, sed quod non possit docere asinum, non est defectus potentiæ in Magistro, sed est defectus asini, qui non est capax doctrinæ.* Prolixiùs hâc de re disserui in Theologia mea Scholastica. Quæritur jam;

C.XV.§.260. seqq. Annon DEO fuerit possibile, auferre calicem à CHRISTO? Resp. Non fuit ἀδύνατον per se. Nam per se nihil DEO est ἀδύνατον, ut supra vidimus, extra ea quæ sunt in semetipsis ἀσύστατα, aut quæ divinæ naturæ repugnant. Fuit autem impossibile supposito decreto in contrarium. Sensus verborum Christi est; Pater si tua decreta ferunt, ut alio modo tuæ gloriæ & hominum saluti æquè consulatur. Hinc apud Lucam est; εἰ βούλει (more Attico pro εἰ βούλῃ) παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ, quia velle DEI est ipsius posse. Quidam exponunt optativè, *ô si velles transferre!* Sed elegantius subauditur

τὸ

τὸ γεννηθῆναι aut simile, ut sit aposiopesis mæstissimo Jesu apprimè conveniens. At dices; Christo decretum Patris non potuit esse ignotum. Resp. Christus quemadmodum assumsit nostræ naturæ infirmitatem, itàut homo ea fecit, quæ cum infirmitate carnis convenirent. Et quoniam proprium est naturæ humanæ futura ignorare, idcircò Christus hîc loquitur ut homo futurorum ignarus, quæ tamen ut DEUS cognita habebat, inquit Cyrillus Alexandrinus. *Thes. l. IX. c. 4.*

Quando Christus inquit; *Non mea, sed tua fiat voluntas*, nulla hîc voluntatum contrarietas est, sed potius amica subordinatio. Non quæ distincta, statim sunt contraria, non adversa quæ diversa. Nam divinâ voluntate Christus omninò semper idem vult quod Pater. Ps. XL, 9. Joh. X, 18. at humanâ & quidem naturali, quæ ferebatur in objectum (præsens malum) secundum se tantùm consideratum, ut erat inclinationi naturæ contrarium, declinare illud cupiebat, sine omni tamen peccato, cum subjiciat se divinæ, & sub hac conditione cupiat, si velit Pater, cum autem Pater nolit, nec ipsa id vult, sc. deliberatâ, & respiciens objectum cum omnibus suis circumstantiis. Contraria autem non sunt naturale & deliberatum, quoniam non versantur circà objectum eodem modo consideratum. Vide, quæ habet Incomparabilis nostri seculi Theologus, b. m. Georgius Calixtus, cui adde celebratiss. Quistorpium Senior. b. m. Rainoldum & Episcopium. Inprimis audiendus nobis hic Cl. Voëtius, qui, *Duabus distinctis*, inquit, *volitionibus Christus ferebatur*, primò *in bonum suum & immunitatem ab omni malo. Natura enim per vim & inclinationem omnibus creaturis atq; adeò homini à Deo inditam Eph. V, 29. II. Cor. V, 4.*

Concord. Evang. l. VI. c. 8.
Ad h. l.
in cens. præl 162.
respons. ad defens. Cam. c. XIII.
Disp. de agon. & desert. Christi.

V, 4. non potest non refugere malum & inclinari in sui bonum ac conservationem: siquidem bonum est quod omnia appetunt, Arist. Nicom. 1. c. 1. deinde in gloriam, voluntatem, obedientiamq; Patris & salutem nostram. Utrumq; objectum ab intellectu monstratum volebat, sed modo ac respectu longè diverso: Illud absolute, præcisè, in se, per se, absq; suis circumstantiis consideratum, volebat voluntate sc. naturali, conditionata (si possibile) & velleitate potiùs, s. voluntate imperfectâ: & secundùm hanc petebat conditionaliter rem ex hypothesi impossibilem, absolutè tamen possibilem, ac velleitatem concipit à voluntate Patris diversam; declarans scil. quid sentiret, pateretur & appeteret misera, dùm omnes animæ vires suum agunt, & dùm unicè mens ejus illo momento in malo, quod sentiebat, ejusq; opposito bono defixa circà aliorum objectorum apprehensionem quiescebat. Per se ergò & in se & materialiter ex recto amore vitæ volebat conservationem ejus, & aversabatur mortem tanquàm naturæ bono repugnantem. Istud cum omnibus circumstantiis, causis, effectis, antecedentibus, consequentibus consideratum volebat voluntate absolutâ, volebat, inquam, non in se, sed cum omnibus circumstantiis, per modum rationis ad finem, qui mediis in se malis etiam dat amabilitatem, quomodo potio mala propter sanitatem appetitur, & fideles appetunt mortem Phil. 1, quam tamen natura refugit & ipsi in se non appetunt 2. Cor. 5, 2. 3. 4. Et hanc voluntatem declarat istis verbis; Non mea &c. Quibus non revocat prius effatum, sed limitat addendo & supplendo quod deerat, quomodo epanorthosis seu correctio Rhetorica notat aliquando talem limitationem, non verò emendationem ejus quod malè dictum est.

Verba

XIX.

Verba illa, γενηθήτω τὸ θέλημά σου sunt non ferentis tantùm quod vitari nequit, sed toto animo in placito Patris acquiescentis. Non (quod Romanus Stoicus dixit) patienter excipientis fatum & imperata facientis, sed (quod alibi idem, & quod longè gratius perfectiusq;) non tantum DEO parere, verùm etiam assentiri volentis. Simile quid habes *Act.* XXI, 14.

V.
SUDOR SANGVINEUS.

Certissimum in Servatore maximæ anxietatis indicium fuit, quod sic sudavit, ut sanguinis grumi defluerent in terram. Lucas exprimit his verbis; ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. Sudorem hunc quidam negârunt, adeô ut etiam sacrilegâ manu ipsius contextus verba expungerent, quo factum uti in nonnullis exemplaribus ea non comparerent, testibus Hilario & Hieronymo. *de Trinit. c. X. lib. II. cont. Pelag.* Alii extenuant, quos inter Evthymius, qui nudam hîc admittit comparationem, quando sudorem, viribus facultatis naturalis angore labefactatis & intrò revocatis, tàm copiosum & crassum emanasse ac si grumi sangvinis in terram decidissent, existimat. Theophylactus itidem proverbialem urget Hyperbolen, *Sudavit,* inquit, *cum tanta anxietate, ut planè juxta paroemiam sanguinis guttæ ex eo ceciderint. Paroemia enim est in his qui amarè flent, ut sanguinem flere dicantur.* Horum sententiam tuetur Grotius, qui, *Hoc loco,* inquit, *nihil est unde certò colligas sudori huic sanguinem fuisse permixtum. Nam,* ut Theophylactus & Evthymius notant, *non dictum est,* ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος, *sed* ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ *ad h. l.*

 θρόμβοι

θρόμβοι αἵματος. *Quæ verba indicant, verum fuisse sudorem, qui emanavit, non tenuem tamen sed crassum, quales esse solent grumi sanguinis, cùm sudor vix soleat* θρομβοῦσθαι. *Non aliter certè intellexit Justinus colloquio cum Tryphone, qui omissâ sanguinis mentione satis habuit grumos dixisse:* ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου. *Tale illud;*

- - - Salsusq; per artus
Sudor iit - - - -

l.c. Vir omni laude superior Georgius Calixtus, Theophylacti rejectâ sententiâ, Euthymii amplectitur. At verò, quò minus assentiar, rationes me movent hæ 1. quia expressa sangvinis fit mentio, non saltem in Græco, sed etiam apud Syrum. 2. quia sanguis propriè cum in terram cadit dicitur θρομβοῦσθαι. Etiam Galeno θρόμβος est τὸ αἷμα πεπηγός. Et quod Dioscorides habet θρόμβος αἵματος, Varinus reddidit, αἷμα πεπηγός, geronnen/ geliefert Blut. Hesychio θρόμβοι αἵματος sunt αἷμα παχὺ πεπηγὸς ὡς βοῦνοι. Græcum ὡσεὶ non semper est nota *similitudinis*, respondens Hebræorum כ׳ הדמיון, sed sæpè *veritatis*, referens Hebr. כ׳ האמיתות. Ut quando *Joh. I, 14.* dicitur, quod gloria Christi fuerit ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, rectè notat Chrysostomus particulam ὡς non esse *comparationis*, ἀλλὰ βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ, *confirmationis & indubitatæ definitionis.*

lib. I. de semine.
libr. III, c. 44.

Cæterùm quæritur, An Sangvis hic effluxerit secundùm naturam, an per miraculum? Prius amplectitur Cl. Voëtius, *Nos non minus ac effluxum sangvinis & aquæ è latere Christi, statuimus eum fuisse naturalem, ex causa scil. proximâ, quamvis admirabilem & naturæ miraculum, imò & supernaturalem, si efficientes remotas & finem respiciamus.*

diss. cit.

XXI.

mus. Causam proximam putamus nos invenire in affectibus & commotione eorum, affectibus, inquam, partim tristitiæ & timoris, qui Spiritus & Sanguinem versùs cor ab exterioribus partibus revocant; partim amoris, desiderii ac zeli, qui Spiritus & sanguinem à corde versus exteriores partes corporis propellunt: hinc factum ut sanguis instar Euripi vorsum prorsum agitatus atq; adeò attenuatus, una cum seroso humore ex venis per cutem eruperit. Tale quid naturaliter posse fieri, inprimis si rarior corporis ac cutis textura accesserit, testantur Philosophi ac Medici (Aristoteles & ex eo Sennertus l.2. part. 3. sect. 2. cap. 8.) svadet ratio & docet experientia.

Potuisse naturaliter hunc effluxum contingere satis probabile videtur. Constat enim magno in discrimine sudorem prorumpere. Et cum tenuis ac raræ texturæ corpus est, sanguis itidem ob vitiatum corporis habitum aquosus, potest esse ille animi luctantis ardor & conatus, ut sanguinem cum sudore eliciat. Sanè id naturæ non esse adversum testantur Aristoteles & Galenus. Διαπήδησιν vocant, quando nempe sanguis serosus, isque tenuis & calidus, rarefactis vasorum tunicis vel osculis, per cæcos cutis meatus, sudoris in modum, parvis grumulis transmittitur. Observatum tale quid Fernelio & jecoris imbecillitati imputatum. At verò præter omnem naturæ rationem sanguinem hunc è Christi corpore effluxisse nobis fit verosimilius. Nam 1. Sanguis undique venis velut tubulis & canalibus inclusus carne & cuticulæ tegumento prohibetur ne effluere possit, & si vel maximè reseratis venarum orificiis profluat, pori tamen angustiores ejus è corpore exitum prohibent, qvùm sanguis longè sit, qvùm sudor, crassioris consistentiæ, quippe qui præter serum alias partes

l. VII. Hist. anim. c. 16.
l. II. de part. anim. c. 5.
l. IV. & VII. Meth. medend.

habet valdè corpulentas, easq; admodum copiosas, uti quotidie cernere est in sanguine ex hominum venis detracto, qui ubi refrixerit, ingentem istius materiæ vim à sero non adeò copioso separari videmus, cujus imaginem nobis & lac præbet, quando id in caseum coagulatur. Quin & posito, naturaliter foramina, quibus externa cutis superficies pervia est, ita dilatari posse, uti non sero tantùm sed & sanguini egressus detur, fieri id tamen minimè potest, cum sanguis non est tenuis & serosus, sed crassus & benè consistens, qualis hic fuit, qui, simul ac erupit, in grumos statim concrevit. 2. Omnia hic excedunt naturæ rationem, sanguinis prorumpentis tùm causa efficiens, quæ erat Onus peccatorum, sensus iræ divinæ, Lucta cum diabolo, morte & inferno: tùm forma, non fuit hic sanguis fluens, qualis aliàs esse solet, sed spissarum & condensatarum guttarum; tùm finis, qui erat totius generis humani redemptio. Aristoteles sudorem illum cruentum, cujus meminit, vocat ἁιμαλῶδες πεείτλωμα διὰ καχεξίαν, fluxumq; tribuit la-
lib. III de part. an. c. 5. xitati corporis, quâ factum ut sanguis præ cruditate humesceret imbecillitate stomachi. At verò Christi sudor non fuit ἁιμαλώδης, seu sanguinis colore tinctus, sed ipsum αἷμα, verus & naturalis sanguis. Nec 2. ex vitiato corporis habitu provenire potuit, cum Servatorem perfectâ corporis constitutione præditum fuisse nullum sit dubium. Quâ vel solâ ratione motus Thomas Minadeus Rhodiginus Medicus Utinensis statuit sudorem Christi sanguineum miraculosum planè fuisse & supernaturalem, *disp. I. de sud. sang.*

Quod de affectu amoris & desiderii monet Voëtius, non ille tantam vim habet in concitando adq; exteriora

riora evocando ſanguine. Triſtitia verò, quâ compreſſus dicitur Servator, planè contrarium habet effectum, ſanguinem nempè ad interiora & verſus cor revocandi. Apponi merentur, quæ ad Voëtium ſcribit Gerardus Bootius, Medicus Londinenſis; *Quomodo agonia ſanguinem propellat, id ſanè explicatu difficillimum eſt, niſi FORTE, ſubita illa ac confertiſſima ſpirituum circà cor congregatio, ac quædam velut colliſio, quoddam quaſi fermentum iis ingenerat, quo fermento exagitato, tàm vehementer ac violenter ebulliant, atq; ſanguinem, cui arctiſſima conjunctione colligati ſunt, comitem-trahentes, ut ſibi viam faciant, atque ex corpore prorumpant.*

VI.
ANGELUS CONSOLATOR.

Fuiſſe Angelum celitus miſſum, qui luctantem Chriſtum confirmaret, ex Luca conſtat. In Angelo hoc Conſolatore tria non tàm penſitabimus, quàm delibabimus, Angelum ipſum, ejus apparitionem & opus. Fuiſſe hunc Angelum Gabrielem ferè perſvademur ex verbo ἐνισχύειν, quo officium ipſius notat Evangeliſta. Certè præterquam quod Gabrielis nomen ſonat θεοῦ ἰσχὺν, hic Angelus perpetuus quaſi & proprius fuit Servatoris miniſter, ut apparet ex *Dan. IX, 21. Luc. I, 19.* & *26.* Verbum ὤφθη innuit Angelum hunc in viſibili aliqua forma ad tempus κατ' οἰκονομίαν aſſumtâ fuiſſe viſum, quandoquidem viſibiles Angelorum conſpectus dicitur ὀπτασία *Luc. I, 22. c. XXIV, 23.* & Græcum ὤφθη de viſibili DEI Angelorumq; apparitione apud LXX. uſurpatur, *Gen. XII, 7. XVI, 13. XIIX, 1. Exod. III, 2. Jud. VI, 12.* Apparuiſſe

fuisse autem hunc Angelum non post ultimas, sed primas preces, mihi non probatur. Nec enim verosimile est, post missum Angelum anxietatem non tantum nihil remisisse, sed & accrevisse. Officium Angeli erat confortare Christum. Verbum ἐνισχύειν significationem habet interioris confortationis, qua quis vires ipse suas recolligit. *Gen. XLVIII, 2. Act. IX, 19.* Omninò Christus cùm in durissimo illo agone vires suas consumsisset omnes, seipsum post Angeli consolationem recollegit, novasque ad pugnandum à divinâ Natura vires recepit.

Cœterùm errare haud facile dixerim eos, qui existimant, Angelum confortantem agonizantem Servatorem verbis ullis usum haud fuisse, sed tùm assistentia & societate consolandi explevisse partes; tùm ponderatione, quibus Christi angebatur anima, mœrorum; tùm habitu deniq; gestuq; simili assumto, ut Domino flectendo genua & ipse flecteret, cum humi prostrato se quoq; prosterneret, cum flente fleret. Amici Jobi, visâ hominis miseriâ, *sedebant cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem Job. II, 13.* Nimirùm & ipsis præ mœrore deficiebant verba, & amico simul afflictissimo se eo modo attemperabant. Iis certè, qui mœrore sunt confecti, nulla initio aptior est medicina, quam quies & silentium. *Si Medicus*, inquit Ambrosius, *medendi tempus expectat, quantò magis explorare nos convenit, ut optimè à nobis medicinalis sermo procedat, qui non accendere luctum, sed lenire videatur. Vis urget doloris, premitur cor mulieris afflictæ, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filium, quid properas, cum te illa non audiat, nisi defervescat dolor? Sæpè lites de consolationibus vidimus excitatas;* (*in Psalm. XXXVII.*)

venisti

venisti ut doleas, non ut litiges. Huc facit in Capitulis Patrum quæ traditur ſententia; *Ne places ſocium tuum cum iraſcitur*, ואל תנחמנו בשעת שבתו *nec conſoleris eum cum ſtupet.* Conſtabat olim conſolatio apud Hebræos primò communicatione doloris & conſociatione lacrymarum. Hinc ſolatia præbituri *ad lugendum accedere* & cum aliis *triſtari* dicuntur *Job. XXX, 25. Pſ. LXIX, 21.* Natura ſiquidem ita comparatum eſt, ut non poſſit quis alieno dolori frenum injicere, niſi ipſe ejus quoddam habeat experimentum in ſeipſo, nec feliciter alienas lacrymas abſtergere, nî prius ſuas adjunxerit. Sat ſolatii ſubindè præſtabat muta quædam mœſtitia & ſola cum dolentibus commoratio. Petro exprobrat Dominus, quod in tanto ſuo mœrore in partem ſolatii ſecum ſaltem non vigilaret *Matth. XXVI, 40.* Lacrymas demùm & ſilentium inſequebatur blandum alloquium, quod, quia cor mœrore veluti occluſum reſerare & refocillare aptum erat, Scriptores ſacri vocant *locutionem ad cor.* Conſolatorem Angelum præter ſilentium & doloris commercium verba adhibuiſſe in confortando Servatore, haud ſit veroſimile, quia par dolori conſolatio verbis applicari nulla potuit, diſertiſſimo imprimis ab infantiſſimo, fortiſſimo ab imbecillimo. Præterea verbum *ἐνισχύειν* ſignificationem habet non tàm verbalis conſolationis, qvàm interioris confortationis, quâ quis vires ipſe ſuas recolligit.

VII.
SOMNUS APOSTOLORUM.

Aggreſſurus Servator cum morte ipſâ agonem monet

discipulos, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*, *Marc. XIV, 38.* Nimirum, quod observat ad *h. l.* Bernhardus, ipse homo præcipuus sui impulsor est ad malum, qui suo, sine alieno impulsu, cadere potest, alieno, seu diaboli, seu mundi, absq; suo, cadere non potest: movet diabolus, sed nihil promovet, siquidem suum ille negaverit assensum.

Serm. LXXXV. in Cant.

Discipuli moniti hujus parùm memores profundo, præ mœrore, merguntur somno, quos multum post somnum Servator sic compellat; καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε. De genuino verborum horum sensu non una omnium est sententia. Augustinus vult esse verba *indulgentis* eis jam somnum, ideoque his pronuntiatis putat Dominum aliquantulum siluisse, ut fieret quod permittebat, tùm deniq; subjecisse id, quod Marcus subjicit, ἀπέχει. Sed ob advenientes milites dormire Apostolis non permittebatur. Sequitur enim; *Ecce appropinquavit hora, &c.* Irenæus ergò, Origenes & Hilarius *allegorias* quærunt. At Theophylactus & Euthymius volunt esse *concessionem ironicam* χλευαστικὴν καὶ ἀγανακτητικὴν cum *indignatione* & *exprobratione* junctam. Cui sententiæ C. Vossius favet. Nec abhorrere videtur H. Grotius, qui, *Sensus est*, inquit, *per me jam vobis licet dormire & requiescere quantum lubet*, planè ut in illo Lucani;

Matth. XXVI, 45.
l. III. de Cons. c. 4.
l. IV. c. 39.
Tract XXXV
Can. XXXI.
l. c.
l. c.

Nunc incumbe toris, nunc pingues exige somnos.

Sed quoniam apud Marcum verba efferuntur *per interrogationem*, τί καθεύδετε? nec ironia anxio Christo convenire videtur, mihi magis sese probat sententia Gerhardi, qui verba in indicativo posita *interrogativè* accipit hoc sensu; *Quid amplius dormitis & requiescitis?* Quod

l. c.

verò

verò Gerhardus addit, *Ἀπέχει ἐλλειπτικῶς positum est, ut subintelligatur* τὸ ἑαυτοῦ, *habet jam suum somnus ac quies*, nimis dilutum est. Ἀπέχει, quod advertit Magnus Salmasius, purus putus est Latinismus, eo sensu quo Virgilius, Terentius & Seneca *Habet* absolutè posuerunt, cui voci interpretamenti loco Seneca addit, *peractum est*, quod apud Johannem est τετέλεσται. Atque ita apud Marcum vertunt Arabs & Syrus.

VIII.
OSCULUM PRODITORIS.

Judas proditurus Jesum κατεφίλησεν αὐτὸν, testibus Matthæo *c. XXVI, 49.* & Marco *c XIV, 45.* Vetus & Erasmus vertunt, *osculatus est*, quod Emphasin verbi non attingit. Præpositio κατὰ in compositione auget. Concinniùs vertas, *deosculatus*, vel *suprà modum osculatus est*, h. e. non semel, nec leviter, sed sæpiùs & cum affectu scelerate simulato, ut nempè satis signi esset, hunc esse ipsissimum illum, qui prehendendus esset. Certè *Gen. XXXI, 55. Luc. VII. 38. Act. XX, 37.* verbo καταφιλέω frequentiora oscula & complexus arctiores exprimuntur. *Nec illa verbi Emphasis Xenophonti fuit ignota, qui ἔπειτα δὲ, inquit, κατεφίλει κύρου καὶ πόδας, πολλὰ δακρύοντες ἅμα χαρᾷ καὶ εὐφραινόμενοι. *l. VII. παιδ.*

Osculandi ritus Hebræis aliisque gentibus erat perfamiliaris. Figebant oscula vel ore paulò contractiore ori alterius admoto & leviter appresso, vel cum apprehensione aut menti, aut meditullii barbæ, aut genarum *II. Sam. XX, 9.* inprimis cum occurrerent illi, quibuscum sanguinis erat aut animorum aliqua conjunctio, quæ consvetudo nec Ethnicos fugit. Antiquæ

 enim.

enim Græciæ in supplicando, mentum ejus, quem deprecabantur, attingere mos erat, teste Plinio. Et Cicero cum de statua Herculis agit, *Cujus mentum*, inquit, *paulò attritum, quod in precibus ac gratulationibus non solùm venerari eam, sed & osculari solent.* Etiam *manus dextræ* deosculatio tùm in populo DEI, tùm apud exteros non erat infrequens. Plinius; *In adorando dextram ad osculum referimus.* Hebræi quando honorem habebant superioribus, manum ipsi suam admovebant ori *Gen. XLI, 40.* Cæsare de Provincia redeunte, refert Plutarchus, milites manum reverenter esse osculatos, *quod genus*, inquit, *honoris Imperatoribus modò, idq; perpaucis, id temporis tribuebatur.* Hinc qui Principem salutabant, *sacram* ipsius *purpuram adorare* dicebantur, quia dextram manum, quamprimum hac purpuream ipsius vestem attigissent, ad os admovebant, & svaviabantur, referente Pancirollo. Osculabantur manum benefactoris, qui beneficia acceperant. Vopiscus in Aureliano; *Surrexit, atq; ad manus accessit, agens gratias.* Osculabantur manus eorum, quos colebant. Epictetus; *Præfecturam adeptus est, omnes obvii ei gratulantur, quidam oculos osculantur, alius cervicem, servi manus.* Neque verò hisce terminis, quasi conclusa, stetit osculandi ratio, sed potentiorum insolentiâ ad genua, imò ad ipsos usque pedes fuit protensa. De genibus Ammianus; *Ex his quidem, cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua svavianda & manus.* De pedibus Dio; *Pomponius secundus tunc Consul, pedes Caligulæ, identidem se inclinans, osculabatur.* Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur,

l. XI. nat. hist. c. 45.
Orat. IV. Verrin.
l. XXVIII. c. 2.
Rer. memor. l. II, tit. 46.
Rer. gest. l. XXVIII.
Hist. Rom. l. XIX.
Eutropius l. IX. c. ult.

larentur, cum gemmis calceos exornasset, ut hoc liberius facerent. Quantò rectiùs Maximus Senior, *Dii prohibeant*, inquit, *ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat*, notante Julio Capitolino. Deosculationi quandoque addebatur *complexus*, sic ut convenientes primùm vel digredientes sese mutuò manibus vel circum collum, vel circum humeros, complecterentur, vel etiam aures alterius, cui osculum applicabant, utraque manu apprehenderent. *Luc. XV, 20.* Quod ultimum osculi genus Pollux *χύτρας*, Suidas *χύτρον*, seu *ollam* appellant, fortasse quod in eo gestu, ut caput ollæ, ita aures ansarum formam referre viderentur. Meminit hujus consvetudinis ex Græcis Clemens Alexandrinus. Inter Latinos expressit Plautus Pœnulo, ubi Milphio scorto sic abblanditur; *Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem svavium.*

In Vit. Maximini Jun.

l. X, c. 24.

l. V, στρωμ.

Act. I, sc. 2.

A Judæis osculandi ritum accepêre Christiani, ut liquet ex Justini Apologetico & Tertulliani secundo ad Uxorem. Imò hodieq; eum morem observant Ecclesiæ Orientis. Usque adeò autem veteres Christiani detestati sunt hujus osculi memoriam, ut propterea, quo tempore passionis Dominicæ memoria recoleretur, osculo abstinerent. Amalarii Fortunati verba sunt; *A pacis osculo in istis diebus nos abstinemus, non quod pacis osculum malum sit, ubi ex caritate vera profertur, sed ut demonstretur, quam injuriam passus sit Christus à suo proditore: Ut & nos vitemus eandem injuriam in fratribus.* Erant autem Oscula I. *Symbola mutuæ benevolentiæ*, sincerive amoris, exhibita vel post diutinam absentiam. *Exod. IV, 27.* Unde Chrysosthomus; *Potissimum quando ex peregrinatione revertimur, solemus amicos osculari:* vel in discessu, quando

De Offic. l. I.

Homil. XXX in II. ad Cor.

Cyrop. l. I. do amicus amico valedicebat. *Gen. XXXI, 28. Act. XX, 37.* Ità Cyrus discessurus legitur lege Persarum cognatos *ad osculum admisisse*, apud Xenophontem. Et de Nerone scribit Svetonius; *Certè neq; adveniens, neq; proficiscens quenquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.* Vel in occursu, & quovis amico congressu. *Exod. XVIII, 7.* De

l. LXIX. hist. Rom. Trajano memorat Dion, eum *senatum osculo excepisse & dimisisse.* Ejusmodi osculo, pacis & amoris τεκμηρίῳ, quod Paulus φίλημα ἅγιον *Rom. XVI, 16.* & Petrus φίλημα

In Orat. ad Ant. Imp. ἀγάπης *I. Ep. V, 14.* appellant, salutabant sese primi Christiani, *tùm* finitis precibus antè administrationem Eucharistiæ, de quo Justinus Martyr; *Precibus finitis nos invicem osculo salutamus, &c.*

Homil. LXXVII. in Joh. Chrysosthomus; Διὰ τοῦτο καὶ ἐν μυστηρίοις ἀσπαζόμεθα ἀλλήλους, ἵνα οἱ πολλοὶ γενώμεθα ἕν.

l. de Orat. Tertullianus osculum illud vocat *signaculum orationis*, quia post finitas preces publicas figebatur. *Tùm* in occursu aut familiari congressu, de quo Clemens Romanus;

l. II. Const. Ap. c. 11. *Salutēt inter se viri, & inter se mulieres osculo in Domino.* Nempè ut nos salutantes sæpè manum alterius apprehendimus: ità, ex Orientalium more, salutantes se invicem osculabantur. *II. Signa*, quando inferior osculabatur superiorem, *submississimæ reverentiæ. I. Sam. X, 1.* quamvis insolentiâ Principum posteà factum sit, ut ex inferioribus non quivis, nec apud quemvis, admitteretur. *III. Testimonia*, quando inferior à superiori osculo donabatur, *gratiæ ac favoris II. Sam. XIX. 39.* De Vitellio narrat Svetonius, quod *totâ viâ caligatorum quosque militum obvios exosculatus fuerit.*

Advers. Sac. l. III, c. 7. Prolixiùs de omnibus hisce differit Daniel Fesselius, quem vide.

At quæritur; Cur Judas sub osculi Symbolo Dominum prodiderit? Putat Jansenius, factum id esse in gratiam

gratiam militum Romanorum, ne illi tenebris nocturnis decepti errarent in persona, quam minus noverant. At quorsum laternæ & faces in hac historia, nisi ut noctis tenebras depellerent? *Verius est*, inquit Magnus Casaubonus, *datum id signum fuisse militibus cohortis Romanæ qui Christum ne fulgente quidem sole, ut videtur, erant agnituri, sibi penitus ignotum.* Obtinuisse olim apud Græcos ut discipuli Magistros osculo exciperent docet Salazar. Idem obtinuisse apud Hebræos persvadet ferè hoc Judæ osculum, qui dum osculatur, *Ave Rabbi* inquit, eo ipso se quasi discipulum sistens Magistro. Eandem fortasse ob causam *Luc. VII.* Christus cum Pharisæo expostulat, quod ad prandium invitatus non fuisset ab illo osculi honoratus officio, à quo Pharisæus datâ abstinuerat operâ, ne Domini se discipulum eo signo monstraret. Sed & mysterii aliquid sub hoc osculo latebat. Nam sceleris exsecrandi immanitati cumulus ingens accessit per istud proditorium osculum. Itaque ait Dominus ad Judam, *Luc. XXII, 48. Juda, osculo filium hominis tradis?* Ut etiam ex eo appareat patrati sceleris magnitudo. *Osculo?* inquit Ambrosius, *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacræ pacis insigne est? osculo, quo amicitia fida firmatur? osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergò osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? & tradis filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cœlo?* Non minùs eleganter Chrysostomus; *O signum sacrilegum! ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium rumpitur pacis sacramentum.* Et Ruffinus; *Per molle osculi blandimentum execrabile proditionis jaculum infixit.*

ad Matth. XXVI.

Comm. in Prov. XXIV.

in Psalm. XXXIX.

homil. I. in fer. 5. pass. Dom.

in exp. symb. ap. Cypr.

IX.

PRODITOR AMICUS.

Accedit inſtar venenatæ veſpæ Judas ex roſeâ illa Chriſti facie, porrecto oſculo, toxica apparaturus, unde juſtorum quisque nectarea pocula combiberet ſvaviſſimè. Tunc ad illum Servator, Ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει, Quod non averteret vultum, manſvetudinis fuit & pietatis; noluit evitare ſignum, undè notus ligaretur ad necem, ne crucis evitandæ cupidus argueretur. Sed cur ἑταῖρον dixit? *amicus* ille appellatur, qui plusquam novercalia odia exercet? itane punitur culpa, ita deteſtabile ſcelus improperatur? Sunt qui inſultatorium habent Domini ſermonem. At quis inſultationi in tanto mœrore locus? quæ inſultatio in proditorem oſculo exceptum, & ad peccati agnitionem deducendum? quis mitiſſimum, agni inſtar, mundi Servatorem Sarcasmis & illuſionibus, in iſto rerum diſcrimine, uſum crediderit? Rectiùs, me judice, ſentiunt, qui per ἑταῖρον *ſocium* intelligunt & *ſodalem*. Neque tamen temerè rejiciendi Arabs, Aethyops, Perſa, Vetus, Eraſmus, Beza, qui vertunt, *ô amice*, ut & Lutherus, mein Freund. Qui enim ſocii, utut non ſemper, plerumq; tamen ſunt amici, Nimirùm titulus hicce honorifius illi communicatur, qui amicitiâ jam divinâ exciderat, ut eum penitiſſimè pungat. Habebat quidem Chriſtus amicos diſcipulos ſuos, at nuſpiam leges, horum ſingulariter aliquem hoc titulo appellaſſe, cùm tamen ad impium calumniatorem ſub patrisfamil. habitu diceret; ἑταῖρε, *non facio tibi injuriam Matth. XX, 13* ut & ad illum, qui ſordeſcens regales nuptias profanârat, ἑταῖρε, *quomodo huc intraſti?*

Matth.

Matt. XXII, 12. ut dum nocentes & odio habiti eo tituli ſplendore afficiuntur, quo etiam in ſumma felicitate vix unquam ſingulariter afficerentur, graviſſimo improperio torqueantur. *Amicos* vocat DEUS etiam illos, à quibus non amatur, quin peccatores etiam, quos tamen, ut tales, non amat ſed odio habet, tùm ut attrahat ad ſe & ſibi amicos faciat per gratiã, qui non ſunt per culpã; tùm ut exprobret pertinaciam, amicitiam, ad quam vocantur, non acceptantium; ſivè ingratitudinem, ab amicitiâ, quam habuerunt, recedentium. Interim non de nihilo eſt, quod notat Origenes, nomine ἑταῖρε *neminem bonum in Scripturis legi appellatum.* Nam præter *Matt. XI, 16.* ſemper uſurpatur in illos, qui reprehendendi & ad agnitionem malefacti deducendi erant.

X.
GLADIUS PETRI.

Videntes diſcipuli manus injici Domino à cuſtode Templi Romani milite, rogant; Κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ Luc. XXII, 49. Particula εἰ hoc loco vim habet *interrogandi*, quem uſum etiam *Si* Latinorum apud latiniſſimos obtinet auctores. Sic apud Comicum; *Viſum ſi domi eſt*, i, e, *domine ſit.* Et Cicero; *dicito, ſi paſcuntur aves*, i, e, *an paſcantur.* conf. ex ſacris *Act. I, 6.* *Terent. Havtent. lib. II. de div.*

Petrus, injuſſu etiam Domini, auriculam abſcidit Malcho, de quo accuſatur ab aliis, ab aliis excuſatur. Qui excuſant næ accuſant Servatorem Petrum objurgantem atque officii commonentem ſui, ut gladium recondat in vaginam. Certè zelus Petri culpam extenuare non poteſt. Fuit enim imprudens nimis. Nam quid unus potuiſſet adverſus tam multos? Quin verò ſic potius

nocuisset & sibi & Domino. Sibi quidem, quia grande est delictum publicos violare ministros. Domino autem, quia videri poterat ipsius jussu fecisse.

Christus Petrum objurgans rationem adfert, quod qui gladium eduxerit, gladio sit periturus. Cajetanus & Conzenius volunt, esse simplicem prædictionem eventus futuri non tàm de jure, quàm de facto, quasi dicat Christus, Petre, tu rem gladio geris. An ignoras ergò legem Romanorum, quâ sancitur capitali pœna apparitorum & magistratuum auctoritas, ut sine ullâ veniæ spe moriatur, si quis gladium in ministros magistratus strinxerit? Nec eo in casu de jure quæritur, sed factum continuò punitur. *Simplex mihi sententia videtur*, inquit Conzen., *Qui gladium contrà Romanos & magistratus templi acceperint, se tueri non poterunt, fortiori succumbent inferiores*. At Chrysostomus, Theophylactus & alii rectiùs statuunt, comminationem in jure fundatam meritoq; contineri verbis Christi, quemadmodum *Gen. IX, 6.* in his verbis; *Quicunq; effuderit sanguinem humanum, sanguis ejus effundetur.* Agnoscit hoc eruditissim⁹ Jansenius, qui, *Gladio peribunt*, inquit, *id est, digni sunt qui pereant. Non enim eventus, sed meritum homicidæ significatur.* Hic loci sensus stabilitur ex *Apoc. XIII, 10.* ubi legitur, *Qui in gladio occiderit*, δεῖ αὐτὸν, *oportet eum gladio occidi.* Merentur id homicidæ ut talionis in illos advertatur jure, variâ quidem ratione, inprimis verò magisq; ordinariè per administros justitiæ legitimos magistratus, quos ineptè *h. l.* excludunt Photiniani, falsò hâc ipsa sententiâ, quando in officio sanguinem fundunt humanum, teneri contendunt Anabaptistæ, cùm præstent quod in sententia continetur, justè sanguinem fundendo illius, qui alterius fudit injustè.

[Margin: Jent. VI, qu. 3. — Ad c. XXVI. Matth. — In Matth. XXVI.]

XXXV.

At dixeris, Vim vi repellere quis prohiberet, cum & Natura jubeat & Leges permittant? Resp. Defensionem sui Leges equidem concedunt, sed non nisi in casu summæ necessitatis, quando vita in præsentissimo versatur periculo, & tunc quidem, α si nulla detur evadendi copia, β nec magistratus vel alterius ope liberari queamus, γ non alterum lædendi, sed nos tantùm defendendi habeamus animum, & præterea δ intrà terminos legitimæ defensionis maneamus. At vim inferre magistratui, vel cum publica authoritate missis, neutiquam concessum est, ne quidem iniquè si judicent, sed vindicta tum Domino committenda est. *Toleranda in eo casu est vis etiam injusta*, inquit Cl. Vossius, *quia nisi à privatis hæc vis feratur, effreni licentiæ ac tumultibus porta aperitur, nullaq; vel legum, vel judiciorum futura est auctoritas.* Sic sanè animati fuere veteres Christiani, qui innocentes nocentibus cedebant, occidi malentes, quàm occidere; etiam cum vires ad ultionem, suiq; defensionem minimè deessent, ut ostendunt Tertullianus in Apologetico & Cyprianus ad Demetrianum. Inprimis hìc notandum est, quod monet Augustinus; *Ille accipit gladium, qui nulla superiore ac legitimâ potestate vel jubente vel concedente in sanguinem alterius armatur.* Non licet in causa etiam justissimâ contrà vocationem ex privatæ vindictæ cupiditate vel imprudenti zelo proximum lædere, sed DEI & Magistratus judicio causam omnem committere decet. At Petrus vocatione nullâ instructus erat, nec Dominum defendendi, sed semet ulciscendi rapiebatur affectu. Quapropter factum improbat Dominus, *nolens defendi persecutorum vulnere, qui suo omnes volebat sanare vulnere*, ut loquitur Ambrosius, horamq; insinuans hanc esse non re-

Harm: l. II, c. 1.

l. XXII, cont. Faust. c. 70.

lib III. offic. c. 4.

ſiſtendi ſed patiendi, non vinci à malo, ſed vincere malum.

XI.

LEGIONES ANGELICÆ.

Quantus fuerit Petri zelus, multis Scripturæ locis dilucet. Igitur ſervo manum injicienti Domino medium diffindere caput cogitabat. At Deus ita direxit ictum, uti nonniſi dextram amputaret oricillam, fortaſſis ne ſic quidem, ut ea decideret humi, ſed ut de aure dependeret. Quod Chriſtum malè habuit. Qui non contentus ſanaſſe vulnus Petrum objurgat, oſtenſo inſuper, nec tali ſibi defenſione opus eſſe, ut qui vel XII. Angelorum legiones poſſit impetrare à Patre; ἢ δοκεῖς, ὅτι οὐ δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι τὸν πατέρά μου, καὶ παραστήσει μοι πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων, *An putas me non poſſe nunc precari Patrem meum, qui aſſiſtere faciat mihi plures quàm XII. legiones Angelorum? Matt. XXVI, 53.* Ità ferè Syrus & Aethyops. At Arabs habet, *duodecim turmas*, Perſa, *duodecim myriades de legionibus Angelorum.* Alludit Servator ad militiam Romanam, in quâ XII legiones juſtum conſtituebant exercitum. Cincius in commentariis de re militari hæc de legionibus retulit; *In Legione ſunt centuriæ LX, manipuli XXX, cobortes X.* Quod & Gellius in Atticis probat. Legio ergò continebit ſex millia militum. Nam centuria centum, manipulus ducentos, cohors ſexcentos complectebatur. Lipſius, *Ex decem*, inquit, *cohortibus fit Legio, ſic dicta quod leguntur milites in delectu.* Inſtituta à Romulo hominum 3000. Regibus ejectis fuit 4000. Bello Annibalis ad 5000. ventum eſt: à Scipione deniq; in Africam trajecturo facta eſt 6000. Vegetius teſtatur,

ratur, Romanos legiones habuisse, in quibus singulis *sena millia*, interdum amplius militare consveverint. Certè C. Marius, auctore Festo, *sex millium & ducentorum* legionem instituit. Vulgò ex Hesychio legionem æstimant 6666. Suidas ἑξακισχιλίους tantum ponit, secundum quem XII legiones Angelorum forent 72000. *Angeli.* Atqui Angelus unicus in exercitu Sennacheribi occidere potuit 185. militum millia. Quid igitur ad hæc una Romanorum militum cohors?

XII.

JUVENIS SINDONE VELATUS.

Cum Petro juvenis quidam sindone solâ indutus, fugientibus discipulis, Christum sequitur. Quæritur primò; Quis fuerit hic juvenis, & undè? Epiphanius fuisse *Jacobum minorem* statuit eo argumento, quod, teste Egesippo, lineâ veste indui solitus fuerit, sed adolescens hic expresse distinguitur à discipulis Domini, nec qui ætatis annum sexagesimum sextum jam tum agebat, νεανίσκου merebatur nomen. Ambrosius, Gregorius, Beda & Baronius *Johannem Evangelistam* fuisse existimant. Hic, *quia rem præclaram narrat, quod aliis diffugientibus ipse sequeretur, ideò & suum nomen silet, & Petrum sibi præponit*, ait Chrysostomus. Sed & iste ex discipulorum numero erat, quos jam tum aufugisse omnes Marcus narrat. Nec poterat is à Cænâ surrexisse nudus: neque enim veteres nudi accumbebant. Amictus Sindonis arguit hominem è lecto surrexisse. Prolixè hanc sententiam refutat Casaubonus. Jansenius, Gerhardus & Grotius statuunt, ex villa

Hæres. LXXIIX. *in Ps. XXXVI* *in Joh. c. XIX* *in Marc. XIV* *Homil. LXXXII. in Joh.* *ad Ann. XXXIV. num. 39.* *Exerc. XVI. ad Ann. Baron.*

Ad Marc. XIV. Harm. Evang. c. 4.

villa aliqua horto proxima hunc juvenem fuiſſe, qui ſtrepitu militum excitatus è lecto proſilierit ſtudio diſcendi quid ageretur. At contrarium arguunt Evangeliſtæ verba, ἠκολούθει αὐτῷ. Quorum verborum non alia mens eſt, quam quod *ſecutus* ſit Chriſtum, jam antequam ex Judæ adventu tumultus eſſet excitatus. Nempe amabat Chriſtum, & ex amore ſequebatur. Ex paſchali ergò domo fuit. Fieri poteſt ut hic juvenis, poſtquam cubitum ſe recepiſſet, de periculo CHRISTI, quem venerabatur, aliquid inaudierit, ac ſtatim lecto ſe proripuerit, ſindone tantum amictus, & Chriſtum ſequi ceperit. Theophylactus, qui varias ſuper eâ quæſtione refert ſententias, primam omnium ponit hanc; οὗτος ὁ νεανίσκος εἰκὸς ὅτι ἐκ τῆς οἰκίας ἐκείνης ἦν, ἐν ᾗ ἔφαγον τὸ πάσχα. *Veriſimile eſt hunc juvenem ex illa domo fuiſſe, ubi comederunt Paſcha.* Idem habes apud Euthymium. Quæ conjectura Viris ſummis, Caſaubono & Voſſio, videtur omnium maximè probabilis, quorum ille tamen non adeò abſurde, *Enimvero*, inquit, *quis fuerit hic juvenis, quærere curioſum & vanum; quando inveniri* τὸ ζητούμενον *non poteſt.* Quin ipſe monet Auguſtinus, quis fuerit hic diſcipulus, tacente Scriptura, non affirmandum temerè.

Tract. XIII. in Joh.

Quæſtio altera eſt de *Sindone*, qualis ea veſtis fuerit, & unde nomen habeat? Grammatici pleriq; deducunt ab urbe Sidone, fortaſſe quod inter merces Sidone in Græciam à mercatoribus Phœnicibus afferri ſolitas olim ſindones fuere. Et inde Martialis *Tyriam Sindonem* nominavit,

IV. Ep. 19.

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres;
Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Propter

Propter Tyri vicinitatem & commerciorum communionem, Sed & alibi fiebant quam Sidone, ut docemur *Prov. XXXI, 24*. & ſcriptura utriusque nominis originationem hanc refellit, *Sidon* enim ſcribitur per צ, *Sindon* verò per ס. Pollux ſindonem ait veſtem eſſe Ægyptiacam, & Diodorus Siculus narrat Ægyptios ſolitos lugere reges περιεζωσμένους σινδόνας ὑποκάτω τῶν μαστῶν. Gloſſæ Vet. Σινδὼν, *tunica linea*, Lutherus vertit Leinwand. Lineam fuiſſe veſtem certum eſt, vel è byſſo. Herodotus Ægyptiorum pollincturam deſcribens σινδόνος βυσσίνης meminit, λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης. Apud Plutarchum miſer olitor adducitur ad Alexandrum ἐν εὐτελεῖ σινδονίσκῃ. Ex quo apparet, fuiſſe indumentum hominis fortunæ & cenſus tenuis, Apud Thucydidem conjunguntur λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων περιβολαὶ, quando tantum fuiſſe ait ardorem interiùs, ut nemo laborantium morbo illo ſuſtineret vel admodum tenuia veſtimenta & *lintea levia* impoſita, neq; aliud quidquam niſi ut nudus eſſet. Interiùs geſtabatur hæc veſtis, exteriùs aliâ ſolidiore ſuperinjectâ, imò ſola quandoq; ab iis, qui vitam ſectarentur ἀσκητικὴν, ut Serapio ille, qui, quia ſindone ſolâ amictus obambularet, *ſindonites* dicebatur, teſte Theodoreto, & Palladio. Hoc loco veſtem notat nocturnam, quam *cubitoriam* Petronius vocat. Hanc enim fuiſſe ex lino indicant illa Dionyſii, Alexandrini Epiſcopi, apud Euſebium. Κἀγὼ μὲν, οἶδεν ὁ Θεὸς; ὡς λῃστὰς εἶναι πρότερον ἡγούμενος ἐπὶ σύλησιν καὶ ἁρπαγὴν ἀφικομένους, μένων ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι, τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα παρακειμένην αὐτοῖς ὤρεγον. *Equidem, ſcit DEUS, ut primò exiſtimans latrones eſſe, ad prædam & rapinam venientes, inq; lectulo manens, ubi nudus eram linea inveſte,*

l. de Fort. Alex.

l. II.

in Lauſiaco.

Hiſt. Eccleſ. l. VI, c. 4.

veste, reliquam vestem, quæ prope me posita erat, illis porrexerim. Galenus expressè inter vestem exteriorem, & interiorem tunicam lineam distinguit. Μὴ γυμνὸς, inquit, κομιζέσθω, ἀλλὰ ἐπιβλημένος σινδόνα μὴ ψυχρὰν, ἢ ἕτερον ἐπίβλημα, hoc est, *ad minimum si non veste exteriore, sindone tamen.*

Quæritur tertiò, Quinam intelligantur per νεανίσκους, qui hunc νεανίσκον apprehenderunt? Jansenius & Gerhardus intelligi volunt pedissequos adolescentulos, qui cohortem militarem promiscuè ex urbe sectati fuerant, quos in adolescentem irruisse volunt petulantiæ vel sævitiæ causâ. Sed ità νεανίσκοι sine articulo fuisset dicendum. Articulus ὁ demonstrat intelligi milites, quorum præcesserat mentio. Certè apud Polybium & alios Historicos νεανίσκος sæpè significat *militem*, & νεανίσκων καταγραφὴ de *conscripta legione* dicitur. Livio etiam *Juvenes* sunt *milites*, & *juventutem legere* est *legiones conscribere*.
Quæst Epist. l.1, Ep.1. Plura ejusmodi observat Lipsius.

XIII.
CAIPHAS PONTIFEX.

Tria hìc delibanda veniunt, I. Cur Dominus à militibus captus non statim ad Caipham summum Pontificem, sed ad Annam prius adductus fuerit? *l.XI, c.37.* Cyrillus conjecturam affert planè incertam, quod *Annas Judæ proditori pactam mercedem promiserit, & illâ etiam nocte solverit.* Credibilius est, quod scribit Augustinus, *in Joh. Tract. CXIII.* *domum Annæ fuisse in via, ut prætereunda foret euntibus ad Caipham.* At omnium tutissimum est, ut statuamus, hoc honoris Annæ habitum, quia fuit socer Caiphæ, quam causam Johannes exprimit *c. XVIII, 13.* *Et adduxerant eum ad Annam primùm.*

primùm. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Evangeliſtam ejus facti rationem ex profeſſo reddere voluiſſe arguit cauſale γὰρ, *enim.* Quod autem perductionem ad Annam cœteri Evangeliſtæ omittunt, fit, quia nihil ibi inſigne geſtum: tantùm ibi detentus Dominus videtur, dum apud Caipham Concilium cogitur.

II. Quomodo intelligendum quod narrat Johannes c. XVIII. commate 24? Nodum accuratè ſolvit H. Grotius; *Illud* ἀπέστειλεν, inquit, verte *miſerat, ut* ἔδησεν *Matth. XIV, 3.* vinxerat: *Sic* ἐκράτησε *Marc. VI, 17. Sic & paulò infra,* οὗ ἀπέκοψε ὁ Πέτρος τὸ ὠτίον, *ubi Latinus rectè,* cujus abſciderat Petrus auriculam: *Cur autem hoc quod ante ſuo loco omiſerat Johannes hic inſeruerit, ita demum intelligimus, ſi accentum,* ἐμφάσεως *indicem, poſuerimus non in voce* ἀπέστειλεν, *ſed in voce* δεδεμένον. *Narraturus enim Johannes ſecundum Petri lapſum, cauſam præmittit, quod Petrus jam Jeſum videret manere vinctum, quod Johannes obiter notat factum fuiſſe ipſius Annæ juſſu, gravi in reum præjudicio, cùm ante id tempus ſatellitum imprudentiæ id potuiſſet adſcribi. Hoc igitur Petro omnem ſpem æquæ cognitionis ademit.*

in Joh. XVIII.

III. An Annas & Caiphas per vices annuas fuerint ſummi ſacerdotes? Videtur id colligi poſſe ex Johannis *c. XVIII, v. 13.* Ubi Caiphas *Pontifex* fuiſſe dicitur *illius anni.* & ex *Luc. III, 2.* Ubi Annas & Caiphas ſimul ἀρχιερέων nomine memorantur. Auguſtinus cenſet, dignitatem Pontificiam unico ex jure communi tantùm debitam, violatis jam ſub Romanis ſacris Ebræorum legibus, ſivè binis ſimul ſivè alternatim etiam eodem in anno donatam fuiſſe. Euſebius & Dionyſius Petavius volunt, annuam fuiſſe functionem, & anno exacto ad alterum tranſiiſſe. Carolus Sigonius ſtatuit, Annam apud Lucam dici ſum-

Tract. XLIX. in Joh.

Hiſt. Eccl. l. I, c. 10.

De Doctr. Tem. l. X. c. 56.

 mum

Libr. V. de Rep. Hebr. c. 2.
In Proleg. ad Euseb.
Exerc. XIII. §. 4.
Ad tit. Talm. Middoth.
Ad tit. Joma, c. I.

mum Sacerdotem, vel quod illo nomine etiàm qui eam dignitatem anteà gesserant exautorati uti solebant, aut quia stationis alicujus sacerdotalis princeps erat. Josephus Scaliger, Isaakus Casaubonus & Constantinus L' Empereur existimant Annam fuisse Pontificem secundarium, Vicarium Caiphæ, ideoque Pontificis simul cum Pontifice primario nomine designatum. At Augustino opponimus, quod nullibi binorum Pontificum pari jure simul utentium mentio extet; neque ævo illo, quo venalis fuit & tàm desultoria dignitas, bini ullibi pariter admissi simul legantur. Annui Pontificatus usus in posteriori templi secundi ævo videtur quidem subniti Gemaræ Babyloniæ hisce verbis; ומחלפין אותה כל שנים & *permutabant illum singulis annis*, At veluti lege aut more certo introductum sibive constantem fuisse nullibi apud veteres satis est compertum. Nec id evincit locus Johannis, cum vox *Anni* ibi laxiùs pro *tempore* ponatur. Conf. *Es. LXI, 2. c. LXIII, 4. Luc. IV, 19.* Ex-Pontificem Pontificio titulo honoratum constat ex Josepho. At consvetudo majorum certissima erat, eorum qui rebus ipsi præerant, non exautoratorum nominibus annos & tempora signare. Vicarium fuisse Pontificis Annam omnium tutissimè creditur. Is ea de causa summo sacerdoti socius dabatur, ut si per morbum aut aliam causam sonticam ille non posset ea obire munia, quæ neminem præter summum Sacerdotem obire fas est, vicarius eam necessitatem expleret, præsertim in decima Tisri, quando sacerdos summus in sacra adyta ingrediebatur, si ille morbo impeditus aut ὀνειρωγμῷ pollutus id præstare non posset, cujus rei meminit Talmud & exemplum exstat apud Josephum. *At*, inquit Cl. Seldenus, *Curnam Vicarius Pontifici*

XLIII.

tifici conjunctus ei præponitur? Resp. Quia Annas Exponti- *De Succes. in Pont. Ebr. libr. 1, c. 12.*
fex tanti erat apud populares honoris, ut quinque haberet filios omnes Pontifices (quod nemini antea accidisse narrat Josephus,) atque ipsum Cajapham Pontificem generum.

XIV.
JESUS CONFESSOR.

Inquisiturus summus Sacerdos, an Jesus sit ille DEI filius, *surgit.* Nempe antea sedebat, ut judices solent. Nunc singulare aliquid acturus surgit. Vel etiam notatur perturbatio animi & indignatio summi Pontificis. Judicis enim non est surgere aut stare, dum judicat, sed sedere. *Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eundem rabies ad scindendas vestes provocat: ut ostendat Judæos sacerdotii gloriam perdidisse & vacuam sedem habere Pontifices*, inquit Hieronymus. *ad h. l.*

Roganti simpliciter, an Salvator sit Filius ille DEI, respondet Dominus *Luc. XXII, 67.* ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε, quod Viri eruditi vertunt; *Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* At in loco judicii, ubi interrogandi officium proprium est judicis, interrogandi sibi partes Dominum sumsisse, vix fit verosimile; nullus enim ibi, ut cum Pharisæis antea ac scribis, sive disputandi, sive arguendi locus fuit. Simplicissimus verborum Christi sensus hic est; *Etiamsi vobis dicam* quod quæritis, tamen *non credetis*, quod *si etiam* vel *supplicem*, ut me dimittatis, *nunquam supplicem exaudietis aut dimittetis.* Certè tàm Græcum ἐρωτάω, quàm

Hebræum שאל non *interrogandi* tantùm, ſed & *orandi* ac *ſupplicandi* ſignificationem in ſacris habet, ut conſtat ex *I. Sam. I,17. Job. XVII,9. Act. III,3.* Et ſicut τὸ ענה huic, ſic verbum ἀποκρίνομαι illi in ſignificatione *exaudiendi* reſpondet *I. Sam. VII,9. Pſ. XXII,3.*

Hoc reſponſo minimè contentus Pontifex, iterum deinde interrogat, ſed cum *adjuratione*. Ἐξορκίζειν aut ὁρκίζειν hoc loco non eſt *jusjurandum exigere*, uti *Gen. XXIV, 3. Exod. XIII, 19.* ſed *gravi obteſtatione per nomen divinum religionem alicujus animo injicere. Marc. V,7.* Latini veteres dicebant *obſecrare*. Hinc quod Marc. *l. c.* eſt ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, Lucas dixit, δέομαί σου. Solebat autem precibus adjungi obſecratio, ut Horatius; *per omnes te Deos oro.* Virgilius; *per te ſacra precor.* Solebant judices talem ὁρκισμὸν adhibere, ut aut teſtimonium teſtibus, aut confeſſionem reis exprimerent.

Ob reverentiam Numinis reſpondet Jeſus, *Tu dixiſti.* Nimis arguta eſt hæc Auguſtini interpretatio; *Non ego dico, ſed tu ais.* Heinſius putat per contemtum datum eſſe hoc quicquid eſt reſponſi. Sermo, inquit, *eſt contemnentis quæ cum tanta vehementia à cæco Pontifice dicebantur. Quo ſenſu* audio *à Comicis: quod Critici antiqui,* non audio, nihil dicis, *interpretantur. Phormione*, A. At non cottidiana cura hæc angeret animum. P. Audio. *Donatus*; à contemnente dictum Antiphonis. *Eſt ergo* audio, εἰρωνεία, *pro* non audio: *hoc eſt*, nihil dicis. At in Scriptura ironicus ejusmodi loquendi modus eſt infrequens, nec anxio Chriſto ſatis conveniens. Aſſentientis eſſe hoc Reſponſum & confirmantis interrogatum patet ex illo, quod apud Marcum eſt, *Ego ſum.* Σὺ λέγεις ergò eſt, *rem ac veritatem ipſam dicis*; vel, ut apud Plautum Perſ.

rem

nem loquitur meram. Idem alibi: *Nullus ſum. Imò es. Scio jam miſerum dices. Tu dixti.* Nimirum Chriſtus καρδιογνώςης perſpexit, illos à quibus interrogabatur fuiſſe intus de veritate rei certos, quam ficta interrogatione ſimulabant ſe neſcire. Itaque reſpiciens ad teſtimonium damnantis, & intus eos accuſantis conſcientiæ, tum etiam ad uſum loquendi communem, qui fert ut interrogationes ſæpe affirmandi vim habeant, rectè, verè, & appoſitè tùm Judæ, tùm Caiphæ, tùm Judæis reſpondit, σὺ εἶπας, ὑμεῖς λέγετε, inquit Capellus.

Addit Servator in ſua coram ſummo Sacerdote ὁμολογίᾳ hæc verba; Ἀπ᾽ ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Quot Verba, tot pondera.

Novator Heinſius circà vocem ἀπ᾽ ἄρτι mirum ſomniat ſomnium. *Fieri poteſt*, inquit, *ut accentus eruditis impoſuerit, & ex eo loci impoſuerit diſtinctio. Quid enim ſi ſcribendum ſit*, πλὴν λέγω ὑμῖν ἀπαρτὶ, *hoc eſt*, ἀμὴν ἀμὴν λέγω, *ut ſit*, certò *ac* verè, planè *ac* diſertè vobis dico, Ἀπαρτὶ ἀπηρτισμένως. Sed præterea quod omnes Codices unanimiter habent ἀπ᾽ ἄρτι, non ἀπαρτὶ, idque non cum λέγω, ſed cum ὄψεσθε nectunt, Lucæ explicatio, qui habet ἀπὸ τοῦ νῦν, Heinſio expreſsè contravenit. Ἀπ᾽ ἄρτι, quod *deinceps, poſthac* notat, non ſignificat *ſtatim*, ſed non ampliùs ſe viſum iri, quam extremo judicii die. Quippe ſecundum adventum opponit primo.

Scrutinium meretur ſingulare appellatio *Filii hominis*. In omnibus ferè linguis Orientalibus uſitatum eſt, ut *filius hominis* ponatur pro *homine*. Hebræis בן אדם notat *hominem*, Eccleſ. *III*, 18. Chaldæis בן vel בר אנש Dan. *II*, 38. Dialecto Hieroſolymitanâ, quæ cum Chaldaica Lingua plerumque congruit, ſubinde legitur *in Talm. Hier. Codic. Schev. c. IX.*

 tur

tur בר נש. Syri quoque בר נשא *filius hominis* dicunt pro *homine*, Matth. *V*, 16. Apud Arabes ſimile quid occurrere vult Cl. Herpenius. In Græcis Scriptoribus ſacris idem reperiri dubium nullum eſt. Nam quod Marcus *c. III*, 28. habet; *Omnia peccata remittentur* τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, Matthæus exprimit; πᾶσα ἁμαρτία ἀφεθήσεται ἀνθρώποις. Anſam præbuit hæc res dubitandi de genuino in hoc loquendi genere Helleniſmo, & fingendi Hebraiſmum, ut per pleonaſmum, linguæ Hebrææ familiarem redundet ly υἱὸς. Sed quid opus iſtâ linguarum συγχύσει? Græcis quoque hunc Idiotiſmum haud inſolentem eſſe exempla probant. Homerus υἷες Ἀχαιῶν poſuit pro Ἀχαιοί. Et apud Dionyſium periegeten invenimus ἰταλῶν υἷηες pro *Italis*. Alii Hebraiſmo ſusque deque habito myſterium quærunt in hâc appellatione. Tertullianus contra Marcionem diſputans putat Chriſtum ideò ſe vocaſſe *Filium hominis*, ut oſtenderet ſe verum eſſe hominem, non ſpectrum aut phantaſma. Sed hæc ratio parùm videtur eſſe firma, quia dum vixit & in terris egit Chriſtus, nemo humanæ ipſius naturæ veritatem in dubium vocavit. Nonnulli, quos inter eſt G. Eſtius, exiſtimant, Chriſtum vocatum *filium hominis* eò, quod eſſet unius tantùm hominis, ſc. Mariæ filius, cùm cæteri filii potius hominum, quàm hominis appellandi forent. Sed, ut alia multa taceam, unius Ezechielis exemplo refelluntur, quem ſæpe filium hominis Spiritus DEI appellat. Alii, quibus favet Illuſtris Grotius, volunt Chriſtum dici filium hominis ob infirmitatem, humilemque conditionem noſtrâ causâ ſuſceptam, quemadmodum apud Hebræos בני אדם opponuntur בני איש *filii hominis filiis viri* ut Pſ. *XLIX*, 3. per illos intelliguntur plebeii ac contemti, per hos præſtantes

in Verſ. Fab. Locmanni de Leon. & homin.

stantes & nobiles. Verùm obstat huic explicationi, quod Christus etiam jam in gloria constitutus cœlesti vocatur eadem illâ periphrasi, *filius ille hominis*. Act. *VII, 56.* Mihi inprimis placet viri acutissimi, Joh. Cameronis, sententia, qui statuit Christum se vocasse filium hominis, ut insinuaret, se esse verum Messiam in V. T. promissum. In Prophetia enim Danielis Messias hoc nomine venit *c. VII, 13.* ubi dicit Propheta, conspexisse sese כבר אנוש *quasi filium hominis.* Quem locum ipsi Judæi de Messia intelligunt. R. Sal. Jarchi in h. l. commentatur; הוא מלך המשיח *Ipse est Rex Messias.* Aben Ezra, quamvis non probet hanc interpretationem, atque insulsè per filium hominis intelligat populum Israelis, refert tamen sententiam Rabbini cujusdam ישועה, qui *h. l.* de Messia interpretetur. Rabbi Saadias Gaon, nobilis atque illustris inter Judæos Doctor, expressè hunc locum ad Messiam refert. Vult ergò Christus Judæis tacitè insinuare, se esse verum illum Messiam, de quo scripsit Daniel. Nec obstat, quod Propheta dicit se vidisse כבר אנוש *quasi filium hominis.* Apud Hebræos enim כּ הרמיון frequenter est ἀληθινὸν, & significat non aliquam duntaxat similitudinem, sed ipsam rei veritatem, planè sicut Græcum ὡς in celebri illo loco Joh. *I, 14.* conf. Apoc. *I, 13.* Vocat autem Daniel Messiam *filium hominis* antonomasticè, seu κατ᾽ ἐξοχὴν, ob eximium Mediatoris munus ipsi à DEO in natura humana impositum, & singularem excellentiam, quâ reliquos homines longo post se relinquebat intervallo. Notum enim est, nomina, quæ speciem significant, tam in Hebræa, quam Græca, Latina, & aliis linguis sæpe adhiberi ad significandum κατ᾽ ἐξοχὴν singulare aliquod in illa specie

indivi-

individuum, ob excellentiam, vel munus aliquod eximium, quo reliquos superat, sicut *Poetæ* nomine excellenter apud Latinos venit Virgilius, apud Græcos Homerus.

Tribuitur autem huic Filio hominis sessio ad dextram τ̃ δυνάμεως. *Sedere ad dextram* jus *filii* notat. De Minerva Jovis filia ex Pindaro Aristides; δεξιὰν κτ̃ χεῖρα τ̃ πατρὸς καθεζομένην. Pro ἐκ δεξιᾶς positum est, ἐκ δεξιῶν ad notandam rei excellentiam, sicut Spiritus S. πνεύματα in plurali dicitur, Apoc. *I, 4.* Quod Fons Græcus simpliciter habet, τ̃ δυνάμεως, Editio Evang. Hebræa legit cum aliquo additamento, מימין כוחי האלהים, quam sequitur Vulgatus; *à dextris virtutis DEI*, Nec Lucas aliter *c. XXII, 69.* ἐκ δεξιῶν τ̃ Δυνάμεως τ̃ Θεῦ. At nec Syrus nec Arabs *h. l.* addunt vocem *DEI*, neque necessarium videtur. Constat enim apud Hebræos הגבורה ἡ Δύναμις in forma emphatica inter DEI nomina usurpari, quasi *ipsam potentiam* dicas, nisi malimus abstractum pro concreto positum, τὴν δύναμιν, ἀντὶ τ̃ δυνατ̃, ut vocatur in Mariæ Cantico Luc. *I, 49.* Drusius putat τὴν δύναμιν referre Hebræorum האל. Nam אל κατ' ἀκρίβειαν, teste Eusebio Pamphili, ἰσχὺς ἤτοι δύναμις. Foret ergò δεξιὰ τ̃ δυνάμεως *Dextra DEI*, ejus qui ipsa *potentia* est. Sicut Hebr. *VIII, 1.* δεξιὰ τ̃ μεγαλωσύνης est *dextra DEI*, qui ipsa *majestas* est. Conf. Füllerus. *lib. II. misc. Sacr. c. 7.*

XV.

SCISSIO VESTIUM.

Pontifex auditâ responsione Christi, acsi blasphemiam audivisset, scissione vestis dolorem simulat. Multarum is gentium mos fuit, ut vestes rumperent in luctu.

Etiam

Etiam Rex Persarum in luctu vestem scindit apud Aeschylum. At hic non tàm dolor, quam indignatio. Ingenti enim ex audita blasphemia indignatione oborta lacerabat vestem summus sacerdos. Huc facit quod Capitolinus de Maximino narrat; *Incurrere in parietes, vestem scindere, gladium arripere, quasi omnes posset occidere.* Inprimis apud Judæos non adeò insrequens erat קריעה חבגדים *Laceratio vestium*, fiebatque apud illos diversimodè propter diversas causas. Audiamus de ea disserentem ex Majemone Cl. Buxtorffium; *Causa principalis est*, inquit, *Luctus ob mortem patris aut matris, propinqui, sapientis, aut Doctoris populi, Regis aut Principis, summi prætoris & similium. Item, si quis audiat aut videat verba legis flammis absumi, aut si quis audiat nomen DEI blasphemari, vel Urbes, Templa, Scholas vastari aut comburi; aut populum Judaicum ferro trucidari. Laceratio fit stando: à collo anteriùs, non posteriùs, non ad latus neque ad fimbrias inferiores vestis. Longitudo rupturæ palmus est. Laceratio non fit in interula seu indusio linteo, nec in pallio exteriori. In reliquis vestibus corpori accommodatis omnibus fit, etiamsi decem fuerint. Laceratio statim fit ad egressum animæ, si quis præsens sit: aut intra 7. dies primos, ad primam famam de mortuo: aut intra dies 30, de lata fama ex terra longinqua. Propter patrem aut matrem, Principem, prætorem summum laceratio fit usq; ad denudationem pectoris. Laceratio vel sutura propter parentes nunquam resuitur: propter alios fieri potest, vel post trigesimum diem, vel intra pauciores, pro ratione personarum mortuarum &c.* Inprimis, cum audita esset blasphemia, Judæi scindebant vestimenta sua, ut constat ex *II.* Reg. *XIX*, 1. Es. *XXXVII*, 1. Act. *XIV*, 14. Huc facit, quod scribit Maimon; *Cum eloquuntur testes, qualem blasphemiam audive-*

in Lex. Talm ad voc. קרע *p. 2146.*

in Avodah Zarah. c. II.

audiverunt, tenetur unusquisque blasphemiam audiens vestimenta scindere. Sanhedrin; *Judicantes blasphemantem interrogant primùm testem, & dicunt ei, Loquere plane, quid audivisti: cumque ille effatur, Judices pedibus stantes scindunt vestimenta sua, & non resuunt.* Inde Hieronymus ad h. l. *Consvetudinis Judaicæ est*, inquit, *cùm aliquid blasphemiæ, & quasi contra DEUM audierint, scindere vestimenta sua.*

c. VII. hal. 10.

Cæterùm quæritur, An etiam Pontifici per Legem licuerit ex more avito vestimenta discindere? Baronius negativam tueri videtur, quando, *Divinâ lege*, inquit, *Sacerdotibus vetitum erat ne sua scinderent vestimenta: Sed Caiphas, illâ contemtâ, quò cæterorum adstantium animos in Christi perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria) sic sua vestimenta conscidit.* At verò quam crassum Baronius erret errorem, clarum est ex *I. Maccab. XI, 71.* ubi Jonathan Pontifex Maximus post cladem acceptam narratur διαῤῥῆξαι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Josephus quoque, οἱ δυνατοὶ, inquit, σὺν τοῖς ἀρχιερεῦσι τὰς ἐσθῆτας περιεῤῥήξαντο. Interdictum, quod in Levitico bis extat, Thalmudici ad modum lacerationis restringunt, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed infrà tantùm circà pedes licuerit, suprà verò & ad sinum pectoris vetitum fuerit. Misna; *Pontifex dilacerat à parte ima, sacerdos gregarius à summa.* Cl. Seldenus restringit ad vestes Sacerdotales, quarum solum in sacris ministeriis usus, illarumque scissionem interdictam vult, amictus autem vulgaris, quê extra sacra gestabant ministeria Pontifices, lacerationem concessam. Communissima eaque verissima sententia est, in citatis Levitici locis disruptionem vestium Sacerdoti summo non absolutè, sed in luctu propter

libr II. ἁλώσεως c. X, 6.

XXI, 10.

mortuos prohibitam esse, quod antecedentia & conse- *Leo serm.*
quentia ad oculum demonstrant. Conf. Calixtum, Gro- *VI. de pas-*
tium, Gerhardum, aliosque ad *h. l.* *sion.*

XVI.
ILLUSIO PATIENTIS CHRISTI.

Blasphemiæ incusatus Christus, Senatus sententias exquirente principe Sacerdote, reus mortis omnium ore peragitur, peractusve triplici inprimis exponitur illusioni.

Primus illusionis gradus erat conspurcatio faciei, ut ait Matthæus, *c. XXVI, 67.* ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Erat ingentis contemtus signum, tùm apud Judæos, Num. *V*, 14. Deut. *XXV*, 9. tùm apud exteras gentes. De Phocione ad mortem ducto Plutarchus; Σιωπῇ βαδίζοντι τῶν ἐχθρῶν τις ἐνέπτυσεν εἰς πρόσωπον. Seneca de Aristide; *Du-* *Cap. XIII.*
cebatur Athenis ad supplicium, cui quisquis occurrebat, deji- *ad Helv.*
ciebat oculos. Inventus est tamen qui faciem ejus inspueret.
Et alibi; *Obrutus sputis & deportandus extrà forum trahere-* *Epist. XIV.*
tur. Nicephorus Constant. *Multis ab spectante populo con-* *in brev.*
tumeliis ac sputis etiam dehonestati. Hinc *despuere* pro *vili-* *Hist.*
pendere. Epicrates apud Athenæũ, de Laide olim superba, *dipnos. XIII.*
jam abjectâ; *Ipsam videre ac inspuere est facilimum.* Lucifer *c. 10.*
Calaritanus; *Ausus fuisti jubere nobis Domini sacerdotibus, ut* *lib. II. adv.*
innocentem condemnaremus, ut hæresin tuam suscipientes Apo- *Const.*
stolicam fidem despueremus. Inprimis apud Veteres usu receptum fuit, ut, quamprimùm quis morti damnaretur, impunè jam à quibusvis despueretur. Colligi id posse videtur ex hisce Plutarchi jam suprà citatis; *Post Antipatri* *in apophth.*
Imp.

 mortem,

mortem, cum Athenienses democratiam renovassent, Phocion cum amicis in concione morti fuit adjudicatus. Alii igitur flentes quidem ducebantur, Phocioni verò, qui cum silentio procedebat, quidam ex inimicis obviam factus in os expuit. Tunc ipse ad Magistratus respiciens, non aliquis istum, ait, indecorè se gerentem coercebit?

Conspurcata facies Domini obvelatur. Et hæc erat altera illusionis species. Fit id Christo, quia mortis sententia in eum dicta erat. Nam caput ultimo supplicio afficiendis omnium fere Gentium more velabatur. De *Persis* testatur Historia Estheræ *c. VII, 8.* & Drusius *l. XII. Observ. c. 18.* De *Atheniensibus* Plutarchus. De *Judæis* Josephus, apud quem Eques Romanus captus à seditiosis Judæis *revinctus post tergum manibus, oculisque fasciâ velatus ad supplicium ducitur.* Romanorum Carmen ferale ex Livio notissimum; *I lictor, caput obnubito, infelici arbore suspendito!* Cæterùm velabat Antiquitas caput primùm *ex pudore.* Sic & meretrices & nequam homines Lupanar frequentantes caput cucullo vel pallio velabant. Impudentiæ enim extremæ erat inoperto capite luxuriari, & γυμνῇ κεφαλῇ ad lenones ire. Hinc *frons meretricia* Jer, *III, 3.* Fortassis ergò pudori damnatorum velato capite consultum. Certè Julius Cæsar, *ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit, quò honestiùs caderet, ne scilicet oris vultusque horror & deformitas morientis videretur.* Nam ad supplicii gravitatem spectabat, si rei *capite resupinato & nudo* traherentur, *subjecto etiam aliquando gladii mucrone mento, ne faciem submitterent, ut agnosci possent,* quod Vitellio accidisse refert Svetonius. Deinde *lugentes* caput solebant involvere & tegere, sive quia lugentibus lux

l. VII. de Bell. c. 14.

Libr. I.

Sveton. in Cæs. c. LXXXII.

c. XVII.

gravis,

gravis, gratæ ſunt tenebræ, ſive quia ſe conſpici & digito notari ægrè ferunt. Vid. Jerem. *XIV*, 3. 4. II. Sam. *XIX*, 4. Apud Romanos *parentes mortuos filii efferebant capitibus velatis*, teſte Kirchmanno. *Deſperabundi* etiam horrore objecti infortunii, &, in quod ruebant, exitii, *veſtibus præligabant capita*, & ſic *ſe dabant præcipites*. Der Spötter Meinung iſt dieſe / Chriſtus ſoll ſich ins Hertze ſchämen wegen ſeiner groben Verbrechung / und nur hingehen und ſich erhencken / damit Er deſto ehe des Lebens looß werde. At verò & myſterium latet in hoc capitis velamine. Nam ſacrificantes & facrificia olim velabantur caput. Cl. Boxhornius docet, *Sacerdotes quoque Hebræorum cidari aut galero caput tectum habuiſſe inter operandum.* De Ethnicis prolixè rem demonſtrat Stukius. Victimas ipſas *vittis* ac tæniis ornatas Sinon Virgilianus, Theſeus ad Minotaurum miſſus, Iphigenia & alii Diis immolandi comprobant. Fortaſſis ergo capitis damnati velatis capitibus ideo incedebant, quia *Orco cadebant victimæ*. At Chriſtus ideò, quia παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ut loquitur Paulus Eph. *V*, 2. Plura Doctiſs. Urſinus.

libr. II. de Fun. Rom. c. 16.

de Sacrif. p. 68, 69.

Anal. Sacr. l. I, c. 24. 25. 26.

Tertia, eaque realis, illuſionis ſpecies erat *Verberatio*. Petunt Chriſtum partim pugnis, partim palmis, quod Matthæus ita recenſet c. XXVI, 67. καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν, οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν. Elegantiſſimè Vulgatus; *Et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt.* Ῥαπὶς propriè eſt *baculus*. Nec tamen ῥαπίζειν h. l. eſt *bacillis cædere*, ut vult Beza. Non enim fert conſvetudo, ut maxillas feriamus bacillis, quas tamen dicimur ῥαπίζειν Matth. *V*, 39. At ῥαπίσαι eſt πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρὶ, ut loquitur Suidas. Lexicon Græco-Latinum vetus, Ῥαπίζω,

 Expalmo,

libr. XX. *Expalmo*, *alapo*. Pro *expalmo* est *depalmo* apud Gellium,
Noct. Att. c. I. quando, *Et quemcunque depalmaverat* (id est, palma verberaverat) inquit, *numerari statim secundùm XII. Tabulas viginti & quinque asses jubebat*. Augustinus verbo *expalmor* utitur. *Si*, inquit, *expalmaretur*, *voluit se vindicare?*
Tract. VII. in Ep. Joh. Convenit Sedulius,
libr. V.

Heu mihi quantis
Impedior lacrymis rabidum memorare tumultum
Sacrilegas movisse manus, non deniq; passim
Vel colaphis pulsare caput, vel cædere palmis
Aut spuere in faciem plebs exsecranda quievit.

Et Nonnus, militum audaciam ῥαπίσματα Domino infringentium, describens

καὶ ἤιεν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ
χερσὶν ἀμοιβαίῃσι παρηΐδος ἄκρον ἀράσσων
Et alii post alios euntes manibus alternis
Summam illi malam pulsabant.

Nec aliter Juvencus exprimit Versibus quos composuit de passione Domini,

Tunc sanctam Christi faciem sputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphiq; in vertice crebri
Insultant, verbisq; omnes illudere certant:
Christe, prophetabis cujus te palma cecidit.

Ῥαπίζειν ergo est *manu explicita maxillam ferire*. At κολαφίζειν est διὰ τῶν χειρῶν πλήττειν συγκαμπτομένων τῶν δακτύλων, ut
Ad Matth. c. XXVI. exponit Theophylactus, *Contracto pugno maxillam petere*. Terentius; *Colaphis tuber est totum caput*. Vides itaque,
Ad S. Brigitt revel. l. I, c. 10. quomodo differant colaphi ab alapis, non quod illi collo, hæ maxillis, ut vult Consalvus Durantus, & Landulphus Saxo; Sed quod illi compressa, hæ explicita infligerentur manu. Utramque Plautus in Casin. conjungit;
De Vit. Christ part. II, c. 60. *Compressane palma, an porrecta ferio?* Cœte-

LV.

Cœterùm observari hic meretur, Veteres sputis ignominiosis colaphos utplurimum conjunxisse. Lucianus. Προσεπτύσετο τὸν Ζυροθέμιν, καὶ ἔμελλε παίειν κατὰ κόρρης, *expuit in Zorothemim, jamjam maxillas ejus percussurus.* Petronius Arbiter; *Convocat omnes quasillarias familiæq; sordidissimam partem, ac me conspui jubet. Oppono ego manus oculis meis, nullisq; precibus effusis, quia sciebam quid meruissem, verberibus sputisq; extrà januam ejectus sum.* Quin nec id negligendum, colaphum tàm indignum visum fuisse Judæis, ut ignominiam, dolorem aliaque incommoda inde orta compensari certa lege præceperint, התוקע לחבירו נותן לו סלע *Impingens socio colaphum, ei siclum pendit.* Conf. Heinsius, Dieu & L'Empereur.

in conviv. *in Satyr.* *in Aristarch. p. 495.* *in notis ad Matth.* *in notis ad Leg. Hebr. for. cod. I, cap. VIII, §. 6.*

XVII.

ABNEGATIO PETRI.

Abnegatio Petri tribus insurgit gradibus. Nam, ut solemus ex malis in pejora prolabi, nisi matura succurrat pænitentia, sic fere Petro contigit. Simplicem abnegationem aggravat juramento, juramentum anathematismo, quem Matthæus *c. XXVI, 74.* his verbis narrat; Τότε ἤρξατο καταναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον. Errant, qui statuunt Petrum blasphemasse aut maledixisse Christo. Non patitur id adjectum verbum ὀμνύειν. Nec possum assentiri viris gravissimis, quos inter ipse etiam est Pricæus, qui vertunt; *tunc cepit seipsum devovere.* Nam *devovere* est verbum magicæ artis proprium, quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, fascinationibus animum ejus ac mentem quem devovet, ita præpedit & extra se ponit, ut sui officii meminisse

nisse non amplius possit, aut muniis naturalibus fungi. Magis ad rem faciunt, quæ annotat Cl. Salmasius: *Quia*, inquit, *pro magno malo ducitur extorrem fieri, & exsulare ab eo corpore & societate cujus te cupis esse participem, ex eo vice imprecationis usurpatum est. Ut enim qui sibi credi volunt aliquid affirmantibus, solent dicere*, ne vivàm, peream, nisi hoc sit: *Ita Judæis & antiquis Christianis solemnis in jurejurando formula*, anathema sim, *hoc est, à synagoga & Ecclesia exclusus. Unde & καταναθεματίζειν sibi tale anathema imprecari.* Hactenus Salmasius. Cujus sententia autoritate Hesychii fulcitur, qui ἀνάθεμα, inquit, *est* ἐπάρατος καὶ ἀκοινώνητος. Τὸ κατὰ significationem auget, ut καταναθεματίζειν sit non leviter, sed *vehementi animi motu*, nec semel sed *sæpius anathema sibi imprecari.*

Ambrosio & Hilario Petrum excusare conantibus, quod sine piaculo hominem negaverit, quem Dei filium

in Luc. priùs agnoverit, opponimus illa Hieronymi; *Scio quos-*
Can. XXXI. *dam piè affectos ergà Apostolum Petrum, locum hunc ita inter-*
in Matth. *pretatos, ut dicerent; Petrum non Deum negasse sed hominem,*
in Matth. XXVI. *& esse sensum, nescio hominem, quia scio Deum. Hoc, quàm frivolum sit, prudens Lector intelligit, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergò mentitur Dominus qui dixerat; Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne,*
Tract. LXVI. in Joh. *quid dicat, me negabis, non hominem.* Conf. Augustinus.

XVIII.

GALLICINIUM.

Jactanti Petro, se vel animam pro Christo ponere paratum, ut tantam de se præsumtionem retunderet,

prædicit

prædicit Servator, ter se ab eo abegatum iri ante galli cantum. Apud Marcum est, *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me abnegabis.* Tres alii Evangelistæ simpliciter dicunt, *antequam canat gallus.* Nimirùm bis cantat gallus, & circà noctis meridiem, ubi sol dimidiam itineris nocturni partem confecit, & proximè ante solis exortum, ex quo ad nostrum ille pertigit finitorem vel circiter. Posterior hic cantus *secundus* vocatur ab Auctoribus. Aristophanes; *in Ἐκκλησιαζούσαις, p. 735.*

Οὐδ' εἰ μὰ Δία πτ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο - - - - -

Synesius; Ἧς (νυκτὸς) ἤδη περὶ δευτέραν οὔσης ὀρνίθων ᾠδήν. *epist. IV.*
Juvenalis; *Sat. IX.*

Quod tamen ad cantum galli facit ille secundum
Proximus ante diem caupo sciet - - - -

Ammianus; Casium *montem adscendit, unde secundis gallicinijs videtur primò solis exortus.* *lib. XXII.* Idem cum quid gallicinii tempore factum legitur absque numeri adjectione, semper intelligitur, κατ' ἐξοχὴν absolutè sic dictus, vel quia tum galli acrius canunt alacriusque; vel, quia posterior ille cantus hominibus utilior est cùm ad diurnos eos excitet labores, vel denique, quia prioris gallicinii tempus alio designatur nomine, vocatur enim μεσονύκτιον, *medinoctium*, vel, ut Varro loqui amat, *noctis meridies.* Hinc Censorinus & Macrobius *gallicinium* ponunt mediam inter noctem & mane. Isidorus *gallicinium* dictum esse scribit à *gallis lucis prænunciis.* Apud Pollucem quoque partes noctis inter extremas censetur tempus ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. Huc & illud spectat Horatii; *cap. XIX. lib. I. Saturn. c. 3. libr. V. orig. c. 31. Satyr. I.*

Agricolam laudat juris legumq; peritus
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat

i, e, *summo manè*. Vides ergò, quàm non discordent Evangelistæ. Negante Christum Petro primò noctẽ circà mediam, gallus cecinit primâ vice, negante tertiò secundum circà gallicinium, gallus cecinit iterum. Solus Marcus, Petri discipulus, ipsa Christi verba retulit, prout à Petro illa didicerat. Sufficit reliquis memorare quod præcipuum fuit, nempè Christum triplicem illam Petri abnegationem non solùm prævidisse & prædixisse, sed & designasse tempus, fore, ut Christum Petrus abnegaret ante gallicinium. Nec obstant illa Lucæ *XXII, 57.* καὶ μετὰ βραχὺ, *v. 58.* διαστάσης ὥρας ὡσεὶ μιᾶς. Ex verbis μετὰ βραχὺ non sequitur primam inter & secundam Petri abnegationem nihil aut parum intervenisse temporis. Johannes enim *c. XVIII.* à *v.* 17. ad *25.* multa, tanquam in illo intervallo facta, interserit. Quin & tertia abnegatio, quam à secunda horæ circiter interstitio removet Lucas, μετὰ μικρὸν à Matthæo & Marco contigisse narratur. Nec peccaverimus si horæ Lucæ aliquid addamus. Additum enim ὡσεὶ *minuentis* subinde est *Matt. XIV, 21. Joh. XIX,* 14. subindè *addentis Luc. XXIII, 44.* coll. cum *Marc. XV, 33.* Syrus ipse & Arabs in Luca non legerunt illud ὡσεὶ, sed reddiderunt, *post horam unam*.

Ceterùm, cur gallus sub solis exortum canat, explicat Vossius his verbis; *Gaudens* (gallus) *tunc quiete suaviter perceptâ, quia sentit, non sic, ut ante, pectus vel stomachum gravari cibo (ut qui per totum jam corpus sit digestus) lætitiam cantu & alarum plausu testatur. Simul etiam, quia nocturnâ aeris constitutione, calidus ac tenuis galli sanguis halitus ac vapores in musculis excitavit, eò alas complodens & gutture cantillans, vapores studet unà cum pituitâ frigore noctis collectâ dissipare, haud secus ac animalium alia, vel pandi-*

lib. III. *Theol gent. c.* 88.

pandiculatione, vel oscitatione flatus propellunt. Quæ parum probantur Bocharto, qui *Hæc si vera essent*, inquit, *cum in gallo, qui valet, concoctio tàm cita sit aut citior etiam hyeme quàm æstate, quia tùm intensior est stomachi calor per quem cibi concoquuntur, hyemale gallicinium non esset æstivo tardius. At res se habet multò aliter. Matutinus enim galli cantus fit hyeme tribus aut quatuor horis seriùs quàm æstate. Et in reliquis, quæ hic addunt, par est ratio.* Probat interim Bochartus, quod idem dixerat Vossius, gallum *à sole affici*, sed addit; *Cur à sole afficiatur, id ipsum est quod quæritur, & quidem frustrà, quia pendet ex occulta naturæ proprietate.* Part. II. Hieroz. lib. I. c. 16.

Sed audiamus etiam judicium Deo-deditissimi nostri, inque scientia naturali excultissimi WURDIGII, Collegæ & Amici verè fraterni, hisce ad me perscriptum verbis: *Gallicinium quod attinet, sunt alii, qui Causam hujus ad Solem, cum gallus animal sit Solare & generosum, referunt; nonnulli illud, ceu remedium pro discutiendis post Coctionem Vaporibus, allegant; plerique ex judicii imbecillitate aut eclipsi ad occultam qualitatem confugiunt. Ego autem qui proximiores, evidentes & manifestas manibus palpo causas, non facilè ad universales & remotas, nec ad ignorantium asylum, qualitates occultas, solitus sum confugere. Omnium omnino avium Cantus, mutua sunt, utriusque sexus, ad mutuum Veneris, ex orgasmo seminis, orta, complexum, invitamenta & illecebræ: orgasmum quamprimùm sentiunt, & Veneris quandiu pruritus durat, cantillant aves, quamprimùm illud Veneris cessat desiderium & exclusi sunt earundem pulli, silent. Gallus avium est salacissimus, quo frequentius coit, eò alacrior fit, orgasmum seu Veneris stimulum quando sentit, cantat, cantans ad coitum gallinas invitat, diu noctuq;. De die vigilans gallinis cinctus & ad Venerem invitatus sæpenumero,*

 causâ

natura salax, coit. Ante mediam noctem cum utplurimum dormiat sine curis, raro cantat. Post mediam noctem somno discusso ultima peracta coctione orgasmum & Veneris stimulum percipiens, cantum repetit. Cum autem ob tenebras, gallinas, in quas Venerem effundat, non habeat obsequentes, iterum ad tempus silet. Paulò post iterata vice ob novum ad vasa spermatis ex ultima Coctione alluvium, redit ille Veneris stimulus, ex iterum pruriente spermatis orgasmo, idcirco gallinas iterato cantu ad complexum invitat. Quamprimum lucescit, & scalas deserit gallus, primum quod molitur est cantus, qui invitatio est ad Venerem. Secundum, immediatè cantum sequens, est, quod gallinis insultet, easdem comprimat, & ova gallinarum semine suo fœcundet. Ex jam dictis itaque facile colligimus genuinam distincti gallicinii causam; iteratam nimirum spermatis certo tempore ebullientem orgasmum, Veneris desiderium, quod cantu suo, suis intimat gallinis gallus.

XIX.
POENITENTIA PETRI.

Petrus, jam ter à se abnegato Jesu, intuitu ejus gratiosissimo commotus, foras prodit, inque fletum amarum prorumpendo pœnitentiam delicti testatur. *Rectè planè*, inquit Maximus, *flevit & tacuit, quia quod defleri solet non solet excusari, ut quod defendi non potest, ablui potest. Non se suæ linguæ credidit, quâ Christum negaverat.* Et Ambrosius; *Non invenio, quid dixerit, invenio quod fleverit, lacrymæ sine horrore culpam loquuntur; lacrymæ veniam non postulant & merentur: inveni cur tacuit Petrus, ne tàm cita veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est & sic precandum.* Matthæus *c. XXVI, 75.* habet, καὶ ἐξελθὼν ἔξω, ἔκλαυσε πικρῶς.

Homil. III. de pœnit. patr.
lib. X. in Lucam.

κρῶς. Nimirum hic mos lugentium. De Maria dicitur Joh. *XX*, 11. quod fuerit κλαίουσα ἔξω. Plinius de Fannia, Pæti uxore. *Cum diu cohibitæ lacrymæ vincerent, erumperentq́ue, egrediebatur, tum se dolori dabat.* Curtius de Alexandro, occiso Clyto; *Solitudo illi pænitentiam exciebat.* Plura apud Cl. Pricæum. At Marcus habet, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. Hic fere interpretum quot capita, tot sensus. Quidam explicant de *motu è loco in locum*, ex atrio foràs, ut sit idem, quod apud Matthæum ἐξελθών. Arabs; *Et vertit se* (discessit) *flens.* Beza; *& quum se proripuisset, flevit.* At non meminerim absolutè positum verbum ἐπιβάλλειν ullibi sic accipi. In locis à Cl. Dieu ex LXX. Interpp. adductis semper ponitur cum addito. Sunt qui à participio ἐπιβαλὼν augeri tantum volunt verbi sequentis significationem, ut sit ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, quasi d. σφόδρα ἔκλαιε, vel, ut Theophylactus, μετὰ σφοδρότητος *vehementer flevit.* At ἐπιβάλλειν, quando apud Græcos significat *cum impetu aliquid facere*, ut plurimum in agendi forma usurpatur, v. g. ἐπιβάλλειν τινὶ *impressionem in aliquem facere.* In vetustissimo Exemplari, teste Beza, pro ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, legitur, ἤρξατο κλαίειν; Certè Latinus vertit, *cœpit flere*, nec aliter Erasmus. Lutherus quoque hub an zu weinen. Eandem sententiam Theophylactus refert, quando, ἐπιβαλὼν, inquit, ἀντὶ τοῦ ἀρξάμενος, & Heinsius vehementer defendit. Verum in hac significatione nunquam ἐπιβάλλειν Græcè, sed ἐπιβάλλεσθαι, *incipere aliquid, aggredi*, usurpatur. Magnus Casaubonus τὸ ἐπιβαλὼν pro νοήσας, seu κατανοήσας, accipit, ut ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, sit, *ubi rem altius secum reputasset, ubi mentem intendisset, ubi animo in rem incubuisset, flevit.* Beza non negat interpretationem hanc probam esse & appositam. Sic

ad Matth. XXVI.

enim scribit; *Posit etiam aliquis interpretari* ἐπιβαλὼν, cum animadvertisset, *id est*, re animadversa. *Fuerat enim Petrus intuitu Christi & galli cantu velut ex profundißimo*
Ad h. l. *somno expergefactus.* Johannes Boisius, Ecclesiæ Eliensis Canonicus, Vir egregiè doctus, *Ex omnibus*, inquit, *Versionibus palmam huic tribuo.* At, quod pace summorum virorum dixerim, hoc sensu non ἐπιβαλὼν, sed ἐπι-
Ad h. l. βαλόμενος dicendum fuisset. Hugo Grotius ἐπιβάλλειν accipit pro προστιθέναι, hoc sensu; *Non tantum recordatus est in animo eorum quæ Christus dixerat, sed præterea* (& hoc adjecit,) *etiam fletu testatus est mærorem.* Quæ sententia
Ad h. l. non adeò est absurda. At conjectura mera est, quam affert Dieu, ἐπιβάλλειν, inquit, *etiam est*, adjicere, augere. *Annon verti possit*, & augens, *i. e.* abunde flevit? *ut idem sit, quod apud Matthæum*, καὶ πικρῶς ἔκλαιε. Mox ipse addit, *Non affirmo.* Vide suprà. Theophylactus refert & hanc sententiam, ἐπιβαλὼν, τουτέστιν, ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλὴν, *capite operto flebat.* Quæ Expositio Viro, qui inter Criticos, quod sydera inter minora Luna, est, Claudio Salmasio præ cæteris arridet. Moris enim erat, & præcipue Viris, quibus indecens fletus, ut capite obvoluto flerent, non saltem apud Judæos, ut apparet Jer. *XIV*, 3. 4. sed & apud alias gentes. Isocrates in Trapezitico, ἐπειδὴ ἤλθομεν εἰς ἀκρόπολιν, ἐγκαλυψάμενος ἔκλαιε. Itaque ἐπιβαλὼν erit, *injecta capiti veste.* Quales ellipticæ locutiones Græcis minimè infrequentes sunt. Ita εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, subaudiendo ἡμέραν. Sic & ἐπιβαλὼν, pro ἐπιβαλὼν τὴν ἐσθῆτα, injecta in caput lacinia pallii. Certè verbum ἐπιβάλλειν de injectione vestimentorum & velamentis usurpatur apud Scriptores tam sacros, Lev. *XIX*, 9. Num. *IV*, 14. Marc. *XI*, 7. quam profanos. Inde ἐπιβολὴ ἱματίων in Vita

in Vita Epicuri; ὥστε ἀδυνατεῖν καὶ τὴν τῶν ἱματίων φέρειν ἐπιβολήν. Qui plura desiderat, adeat Salmasium τὸν τρισμέγιστον.

XX.

ZACHARIAS ΔΙΩΝΥΜΟΣ.

Emptione agri impletum esse quoddam Jeremiæ Vaticinium testatur Matthæus, quod tamen in Jeremia nusquam legere est, verum simile quid est in Zacharia, sicut advertit Hieronymus, quando, *Hoc testimonium*, inquit, *in Jeremia non invenitur: in Zacharia vero quædam similitudo fertur: & quanquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo, & verba diversa sunt.* Calvinus errorem agnoscit, de causa erroris non usq; adeo sollicitus est. *Quomodo Jeremiæ nomen irrepserit*, inquit, *me nescire fateor: nec anxie laboro. Certe Jeremiæ nomen errore positum esse pro Zacharia, res ipsa ostendit.* Augustinus vult, data opera unum nomen pro altero positum, ut commonefiamus, omnes Prophetas unius ejusdemque Spiritus ductu locutos, atque eam ob rem perinde esse, ex quo testimonia citentur, quod, quæcunque per eos Spiritus S. dixerit, singula sint omnium, & omnia singulorum. Augustinum sequitur Glossa Ordinaria, eamque sententiam simplicissimam vocat Joh. Gerhardus, ut fallatur omnino Cl. Vossius, quando existimat, Augustinum, Glossam & Gerhardum Evangelistæ errorem tribuisse, cum hi Viri non ex errore, sed data opera & *secreto Dei consilio*, quæ verba sunt Glossæ, Evangelistam nomina permutasse voluerint. At Erasmus Matthæum lapsu memoriæ posuisse Jeremiam pro Zacharia existimat, illique lapsui occasionem præbuisse partim nominum similitudinem, partim

comm. in c. XXVII. Matth.

in h. l.

lib. III. de cons. Evang. c. 7.

Harm. Evang. Pass. c. VIII.

Harm. Evang. l. III. c. 3.

ad h. l.

tim etiam quod Jeremias *c. XXXII, 2.* habeat aliquid de agro à ſe emto ex præcepto Domini. Verum quemadmodum *illa* ſententia nimis aliena eſt & ſolido deſtituitur fundamento; ſic *iſta* principio Theologiæ primo *αὐτὸς ἔφα Dominus dixit*, repugnat. A Scriptoribus ſacris abeſſe debet omnis falſitas, non ſolum ea, quæ mentiendo, ſed & quæ fit obliviſcendo. Alii librario errorem tribuunt, fortaſſis ducem ſecuti Origenem. Et horum quidam volunt, integrè fuiſſe ſcriptum in fonte, *Jeremia*, pro quo oſcitanter à librario repoſitum ſit, *Zacharia*. Nonnulli verò, in quibus Theodorus Beza, Joannes Piſcator, Baronius, Janſenius, Svvaretz & Maldonatus arbitrantur, compendio literarum fuiſſe exaratum ζȣ, unde, quaſi ιȣ foret, facili lapſu, factum ſit ἰερεμίȣ. Sunt qui putant Evangeliſtam ſimpliciter poſuiſſe, *per Prophetam*, ſcribam autem addidiſſe nomen *Jeremia*, & fortaſſe ad marginem duntaxat, quod ſequens librarius retulerit in ſermonis contextum. In qua conjectura ſe eo confirmatum ait Beza, quod in Syriaca verſione vetuſtiſſima non adſcribatur ullius Prophetæ nomen. Pro hac ſententia quoque facit, quod Auguſtinus teſtatur, in aliquibus libris non appoſitum eſſe nomen Prophetæ. Accedit Authoritas magnorum Virorum, in quibus etiam eſt Georgius Calixtus, qui *Veriſimile eſt*, inquit, *Jeremiæ nomen à quodam margini adſcriptum in textum olim irrepſiſſe, cum non habeat illud paraphraſis Syriaca, & Matthæo ſolenne ſit Prophetam ſimpliciter ſine addito nomine allegare, ut videre eſt c. I, 22. II, 5. XIII, 35. Imo teſtetur Auguſtinus ſua ætate repertos codices in quibus ita haberetur.* At vero hactenus conſtanter omnes Codices Græci legerunt *Jeremiæ*, nec ullus prolatus, qui habuerit *Zachariæ* nomen; Sane jam ab Origenis temporibus laboratum, ut nodus hic ſolve-

in Matth. c. XXVII.

in append. annal. ad an. 4.

in concord. c. CXL.

T. diſp. XXXIV. ſect. I. in h. l.

l. c.

l. VI. Conc. Ev. c. 10.

ſolveretur: qui labor ſupervacuus fuerat, ſi qua exemplaria caruiſſent nomine Jeremiæ. Neque vero potuit unius exſcriptoris Error in omnia exemplaria manare. Multò credibilius eſt à Syro id nomen omiſſum, quia conſtabat in ſcripto Jeremiæ id non reperiri. Interim agnoſcit Arabs & Latinus & quicquid eſt veterum. Ipſe Auguſtinus nullam vidit in hac ſententia probabilitatem. Itaque *Utatur*, inquit, *iſta defenſione cui placet: mihi autem cur non placeat, hæc cauſa eſt: quia & plures Codices* (Latini) *habent Jeremiæ nomen: & qui diligentius in Græcis Exemplaribus Evangelium conſiderarunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhibent inveniſſe, & nulla fuit cauſa, cur adderetur nomen, ut mendoſius fieret. Cur autem de nonnullis Codicibus tolleretur? Fuit itaque cauſa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæſtione, quod hoc teſtimonium apud Jeremiam non inveniretur.*

Alii ex duobus locis obſervationem hanc conflatam partim legi apud Jeremiam, partim apud Zachariam volunt. Ita Sanctius, (*a*) Glaſſius, (*b*) Heinſius, (*c*) At, quamvis non negemus, ſcriptores N.T. teſtimonium ex duob⁹ conflatum Prophetis ſæpe ſub unius ſolū nomine citare v.g. Matth. *XXI*, *5*. ex *Eſ. LXII*, 11. & *Zach. IX*, *9*. hoc loco tamen ſufficere hanc rationem non putamus, quandoquidem, quæ dicit Jeremias nihil ad Evangeliſtæ locum pertinent.

(*a*) *ad Jer. XXXII.*
(*b*) *libr. I. Philol. ſacr. Tr. II, ſect. III.*
(*c*) *In Exerc. ſacr. ad h. l.*

Origenes conjicit, deſumtum eſſe hoc teſtimonium ex Jeremia quidem, non tamen ex libro ejus, qui in Canone habetur, ſed *apocrypho* quodam. *Suſpicor*, inquit, *aut errorem eſſe Scripturæ* (non ſacræ, ſed Scriptionis, quod σφάλμα γραφικὸν dicimus,) *aut eſſe aliquam ſecretam* (ἀπόκρυφον) *Jeremiæ Scripturam, in qua ſcribitur.* Conjecturam Origenis firmat Hieronymus, quando ad

Ad. Matth. XXVII.

Ad Matth. XXVII. p. I. scribit; *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ apocryphum, in quo hæc adverbum scripta reperi.* Non multum abit ab hac sententia illustris Grotius, qui, *Pro certo haberi debet*, inquit, *multa apud Judæos vatum veterum oracula conservata fuisse non scripto sed memoria, quanquam postea qui à parentibus acceperant ea privatim annotarunt, unde factum est, ut ea oracula in libris ab Esdra digestis non exstarent* &c. *Jam vero & illud sciendum est, veterum Prophetarum verbis uti solitos Prophetas posteriores. Ita Ezechiel multa habet verbotenus ex Jeremia desumta, ut apparet collatis locis.* Jerem. *XXXI, 29. 30.* Ezechi. *XVIII, 1. 2. 3. 4. Inprimis autem Zacharias amat imitari locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt, quod apud eum est c. I, 4. sumtum ex* Jer. *XVIII, 2. c. XXXV, 15. quod est apud eum c. I, 6. ex* Thren. Jer. *II, 17. quod est c. III, 8. ex* Jer. *XXIII, 5. quapropter dicere etiam solent Judæi, Spiritum Jeremiæ fuisse in Zacharia: quare non video quid obstet, quo minus & dictum hoc ab Jeremia primitus usurpatum, hominumque memoria conservatum, per Zachariam repeti Deus voluerit: quod tamen hic à Christo citetur primi authoris nomine, quanquam in libris ab eo scriptis non exstat* &c. Sententiam hanc amplecti quoque videtur Cl. Vossius, qui, *Sanè* inquit, *si Arati, Menandri, Epimenidis, hominum gentilium, versus citare Apostoli non erubescunt: cur vereantur iidem quædam promere ex libris piorum, utcunque ἀκανονίςοις? Quod planius fiet, si quales hi libri fuerint, cogitemus. Prophetæ multa dixere, quæ non sunt in Canonem relata ab Esdra. Hæc, qui audierant, filiis & nepotibus tradidere: illi ex sese natis, & ita porro: quædam etiam posteris ab aliquibus consignata: sed quia memoria hominum est fragilis, eo & contingebat admisceri, ubi scriptor aliquid humani pateretur.*

Ad h. l.

Harm. Evang. l. II, c. 3. §. 22.

retur. Hujusmodi libri, licet non essent θεόπνευςοι, erant tamen exarati ab hominibus piis, & Spiritum Dei habentibus. Ut quanquam non essent in canonem relati, tamen essent Ecclesiæ libri. Qui cum in manibus forent piorum, cur non homines Spiritu Dei acti inde potuerint quædam depromere, & suis adscribere auctoribus. Neque enim Spiritui S. difficile fuit, dum iis scribentibus adsistit, sic animum dirigere, ut nihil inde excerperent, nisi genuinum, germanumque; nec ut propheticum producerent, nisi quod tale foret. Si non habuere ea auctoritatem divinam, quatenus continebantur libro apocrypho, nacta tamen eam sunt, quatenus adducta inde in libro Canonico. Neutra sententia, nec ea quæ ex scripto Apocrypho, nec ea quæ ex traditione non-scripta depromtum vult hoc testimonium, falsitatis argui meretur. Dixisse plura scriptores sacros, quam literis dederunt, certum est. Quæ de Janne & Jambre refert Paulus *II. Tim. III, 8.* in Mose non exstant. Jonathanis Paraphrasis Chaldæa Exod. *VII, 11.* eosdem ex traditione nominat. Nec Plinio penitus ignoti fuerunt, apud quem hæc verba legis. *Est & alia Magices factio à Mose & Jamne, & Jothape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* Ubi interim non uno nomine graviter errat: Primo, quod Mosen annumerat magis; deinde, quod Jamnem & Jothapen fuisse Judæos existimat, cum fuerint Ægyptii; ac denique, quod eos censet claruisse multis annorum millibus post Zoroastrem, quod ne verum quidem fuerit, si Zoroastres ille sit Misraim Chami filius, ut voluit Clemens Romanus; (*a*) vel si Nini Regis fuerit æqualis, ut est apud Augustinum; (*b*) Nedum id verum sit, si demum vixerit sub Persicis regibus, de quo videatur Doctiss. Vossius. (*c*, Ita quod à Juda citatur Enochi dictum *vers.* 14.

lib. XXX. Hist. nat. c. 1.

(*a*) *lib. IV. recognit.*

(*b*) *lib XXI. de Civ. Dei, c. 14.*

(*c*) *lib. I. de Theol. Gen.*

communi fere eruditorum suffragio censetur petitum ex Judæorum Apocryphis. Neque id omnino mirum, cum nec Evangelistæ Christi dicta & facta singula, sed ea solum, quæ saluti nostræ sufficerent, Deo inspirante, consignarint Joh. *XX, 30. XXI, 25.* Certè dictum Christi, quod citatur Act. *XX, 35. Beatius est dare, quam accipere*, quoad verba in Evangelista nullo est expressum, utut quâ rem exstet Luc. *VI, 35. XVI, 9.* Fertur etiam Salvator dixisse, *Estote probati nummularii*, apud Hieronymum, (*a*) Clementem, (*b*) Cyrillum, (*c*) Cassianum, (*d*) Damascenum (*e*) Item, *Ecce homo, & opus coram facie ejus*, apud Ignatium (*f*) & Nazianzenum, (*g*) Item, *Qualem te invenero, talem judicabo*, apud Justinum (*h* Item, *Oportet venire bona, beatus autem per quem veniunt, similiter necesse est venire mala, væ autem per quem veniunt*, apud Clementem (*i*) Falsitatis ergo in hac sententia equidem parum. At non sine periculo creditur, ex apocryphis addito expresso Prophetæ nomine ab Evangelistis vaticinia Prophetica citata, vel, tradititionibus dubiis ac incertis divinam & propheticam auctoritatem tributam esse.

Malunt ergo alii, Zachariam fuisse *binominem*, atq; aliter dictum Jeremiam. Quod maxime probatur Erasmo (*k*) Junio (*l*) Gomaro (*m*) Quemadmodum idem ex aliis exemplis constat, in quibus pro nomine uno in V. T. posito, alterum ibidem omissum pro arbitrio Spiritus S. in Evangelio est positum, ut binomines fuisse ex circumstantiis appareat. Primum illustre Exemplum est Matth. *XXIII, 35.* coll. cum *II.* Chron. *XXIV, 21.* Alterum non minus perspicuum extat Marc. *II, 26.* coll. cum *I.* Sam. *XXI, 2.* Hæc sententia, quoniam simplicissima est & minus periculi habet, nobis fere quammaxime probatur. Conf. Voëtius.

Sita-

(*a*) Epist. CLII.
(*b*) lib. II. Ap. Const. c. 30.
(*c*) In Esaiã.
(*d*) collat. Patr. I. c. 20.
(*e*) lib IV. de Orth. Fid.
(*f*) Epist. ad Smirnenses
(*g*) Orat. de bene Ord. disp.
(*h*) In Tryphone.
(*i*) libr VII. Recognit.
(*k*) In annot ad h. l.
(*l*) In Analysi Matth.
(*m*) In illustrat h. l. disp. sel. part I p. 59.

Si tamen cuiquam minus placuerit, quid de hoc è Thalmudicis aiiato vetustatis monumento tenendum fit, ipse judicet. Bab. Bava Bathra; *Traditio Rabbinorum. Hic est ordo Prophetarum. Liber Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Esaiæ & duodecim.* Et paulo post. *Cum autem tempore præcesserit Esaias Jeremiam atque Ezechielem, præponendus rite esset Esaias. Cum vero liber Regum terminaret in excidio, Jeremiasq; totus agat de excidio cumque initium Ezechielis sit de excidio, finiaturque in consolatione, cumque totus Esaias sit de consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio, & consolationem cum consolatione.* Traditionem hanc citatam habes à Dav. Kimchio. Unde patet, Jeremiam in volumine Prophetarum primum olim locum obtinuisse: atque hinc ejus memoria, præ omnibus aliis Prophetis, Matth. *XVI, 14.* quia ille primus incessit in volumine Prophetarum, nominatur primus. Cum ergo textum Zachariæ sub nomine Jeremiæ proferat Matthæus, verba è volumine Prophetarum citat tantum sub istius nomine, qui primum locum tenuit in volumine Prophetarum. Simile quid est in illo Salvatoris Luc. *XXIV, 44. Complenda sunt omnia quæ de me scribuntur in Lege, Prophetis & Psalmis:* Ubi *Psalmi* designant volumen Hagiographorum, in quo primum locum obtinuit liber Psalmorum. Hæc conjicio, non statuo, judicet æquus Lector.

fol. XIV. 2.

in præfat. ad Jerem.

XXI.

JUDÆ CONTRITIO.

Speraverat fortasse Proditor, Dominum, ut antea fecerat, sese è manibus hostium subducturum, vel sic

rationibus eos placaturum, ut ſententiam mutarent. Hoc ubi aliter cecidiſſe videt, dolore facti, conſcientiæ ſtimulis actus, corripitur, quod Evangeliſta verbo μεταμεληθεὶς ſignat. Eruditiſſimus Interpres Beza diſcrimen aliquod inter μετάνοιαν & μεταμέλειαν ſtatuit, quando, *Verbum μετανοεῖν*, inquit, *abſolutè poſitum proprie ſignificat reſipiſcere. Itaque propriè nunquam ponitur, niſi in bono. Semper enim cum μετανοίᾳ cohæret ὁ σωφρονισμὸς. At verò μεταμέλεσθαι declarat* poſt rem aliquam factam ſolicitum eſſe & anxium, *pro quo Latini dicunt pænitere: atque id etiam uſurpari poteſt in vitio. Neque enim proprie complectitur vitæ & conſilii mutationem in melius, ut quidam tradunt; ſed ſimpliciter ſolicitudinem quandam & δυσαρέστησιν* ſeu diſplicentiam *exprimit, quæ facit ut rem factam, ſeu bona ſeu mala ſit, infectam eſſe velimus, etiam cum non eſt novo conſilio locus relictus. Plutarchus δηγμὸν, id eſt*, morſum, *vocat*: Græci Theologi κατάνυξιν, quod animum ſauciet: *Latini recentiores* Contritionem *vocant. Itaque Matthæus de Juda proditore loquens, μεταμεληθεὶς, inquit, ἀπέστρεψε, non μετανοηθεὶς: triſtitiam ſignificans, à qua eſt abſorptus, quod Hebræis declarat vocabulum* נחם, *cum μετανοεῖν potius ſignificetur verbo* שוב, *unde* תשובה *converſio. Itaque Petrus* Act. III, 19. *cum μετανοήσατε dixiſſet, ſtatim ſubjunxit καὶ ἐπιστρέψατε, ut illud explicaret. Idem facit Paulus* Act. XXVI, 20. At vero diſcrimen hoc nec vocū origo aut proprietas neceſſario poſtulat, nec perpetuum eſt. Nam & οἱ ἔξω iſta permutant & ſacri itidem ſcriptores. LXX certe Hebræum נחם promiſcuè per ἀναπαύεσθαι, μεταμέλεσθαι, μετανοεῖν expreſſerunt, & per μετανοεῖν quidem Jer. *VIII*, 6. In N. T. quidem μεταμέλεια ut plurimum ſumitur in malam partem, pro pœnitentia exitiali & infrugifera, Matth. *XXI*, 29. tamen

Ad Matth. III, 2.

men μεταμεληθεὶς is dicitur, qui mentem meliorem recepit. Contra Hebr. *XII*, 17. μετάνοια est id quod μεταμέλειαν dici Beza vult, contractus initi pœnitentia. In bonam etiam partem reperitur verbum μεταμέλεσθαι Matth. *XXI*, *32*. quando Christus exprobrat Judæis, quod ad concionem Johannis non resipuerint, ubi certum, Judæos debuisse resipiscere illa resipiscentia ad quam vocati erant à Johanne: μεταμέλεσθαι itaque de quo Christus ibi, respondet invitationi Johannis per μετανοεῖτε expressæ. Si profanos Authores consulamus μεταμέλεια & μετάνοια plerumque æquipollent. Hesychius μεταμέλειαν exponit μετάνοιαν. Apud Suidam conjunguntur μεταμέλει, μετανοεῖ, μετάμελος γίνεται. Glossarium, μεταμελεῖ *pænitet*, μεταμέλεια *pœnitentia*, μετανοῶ & μετάνοια idem. Sic in Etymologico magno μεταμέλομαι, μετανοῶ, μεταγινώσκω promiscue accipiuntur. Et sane, ut μετανοεῖν significat νόησιν priorem velut refingere, sic μεταμέλεσθαι est curas priores recoquere & reformare. Discrimen itaque pœnitentiæ veræ & apparentis in rerum potiùs quam vocum notatione quærendum. Ad Judæ quod attinet pœnitentiam, non illa simulata fuit, sed ex animo profecta, & tùm confessione, tùm satisfactione probata, sed fide destituta infrugifera. Eleganter Fulgentius; *Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem: ac per hoc, si ex toto corde quispiam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo. Etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini adimit Diabolus, aut speranti pœnitentiam tollit: unum dum onerat, comprimit alterum; dum elevat, dejicit.* Mox; *Judas verò peccati sui pœnitentiam gessit, sed salutem perdidit, quia indulgentiam non speravit: digne quidem pœnitentiam gessit, quia peccavit, tradens*

Epist. VII, c. 5.

dens sanguinem justum, sed ideò sibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis suæ, ipsius, quem tradidit, diluendum sanguine non speravit. Conf. Basilius & Bernhardus.

in epist. ad Chilonem. ser. V. hebd. pœnosæ.

XXII.

TRIGINTA ARGENTEI.

ad ann. Chr. XXXIV. comm. in Hoseam ad l. c. lib. III. de So. S. c. 18.

Pretium, quo Christum vendidit Judas, fuisse dicitur *triginta* ἀργυρίων sc. *νομισμάτων. Matth. XXVI, 15.* Qui cum Baronio *argenteum* de argenti exponunt *libra*, & 30. argenteos 900. effecisse florenos Brabanticos existimant, rectè refutantur à Meisnero, & Lapidense. Nec assensum merentur, qui, cum Ambrosio, 30. hos argenteos *triginta* æstimant *denariis*, ut tota summa ad 4. vix adsurgat imperiales. Quî enim tàm vili pretio ager emi potuerit? Quin ob hanc ipsam causam Lapidensis se mihi non probat sententia, argenteum *drachmis duabus Atticis* æstimantis, ut triginta argentei florenos constituant Brabanticos quindecim præter propter. Quod de nummis adfert, Parisiis uno, altero Romæ in templo S. Crucis ostendi solitis, qui credantur ex his esse argenteis duasque saltem appendant drachmas Atticas, conjectura est, incerta nitens, si non falsâ hypothesi, quam subodorabitur facile, quem piæ non latent Papistarum fraudes.

Argenteus, cùm nummum significet Judaicum, idemque sonet quod *Keseph*, ex Judæorum usu *siclum* denotat, & quidem, ubi nulla exprimitur numismatis argentei species, *siclum sanctuarii.* Hinc apud LXX ubi Hebraicè est *Keseph* seu *argentum*, legas σίκλυς ἀργυρίυ *II. Sam. XVIII.* Hieronymus quoq; cum in Scripturis *argenteos* legimus,

mus, ait *siclos* denotari. *Siclus* altera facie vasculum
ostendit, quo Manna servabatur in sanctuario, cum hac
perigraphe, שקל ישראל, alterâ virgam Aaronis efflo-
rescentem cum inscriptione ירושלים הקדש. Ejus-
modi siclus, sed *deauratus*, in meo quoque servatur anti-
quario. Pondus exquisitè *semuncia* fuit seu *drachmarum* *lib. III. An-*
quatuor, ut Josephus, Hieronymus, Hesychius prodide- *tiq. §. 9.*
runt & Viri alii docti, quos inter R. Moses Gerundensis, *ad Ezech.*
Arias Montanus, Masius experientiâ edocti sunt. Licet *IV. in voc.*
autem LXX שקל sæpe reddant δίδραχμον, ut *Gen. XXIII,* *σίκλος*
15. Exod. XXI, 32. Jos. VII, 21. non tamen cum respectu ad *ad fin. expos.*
drachmam Atticam, sed Hebræam vel Alexandrinam *Pentat.*
ibi sunt intelligendi: Etenim cum Interpretes ipsi Hebræi *libr. de sacr.*
essent, & libros sacros Alexandriæ græcè converterent, o- *mens.*
mninò credibile est, aut regionis suæ, aut ad Alexandriæ *ad cap. VII.*
pondera eos respexisse. Drachma autem Hebræa etiam- *Jos.*
que Alexandrina Atticæ dupla fuit. Nam talentum
Alexandrinum 12000 drachmas Atticas continebat au- *lib. IV. de*
thore Varrone, quantum etiam Hebræum fuit. Omne *ling. Lat.*
autem talentum continere 6000 drachmas ejus loci pro- *lib. IX.*
prias, cujus talentum esse dicitur, Pollux & Suidas prodi- *Onom. in*
derunt. Proinde *didrachmum* pondere Hebræo & Alex- *dict.*
andrino *tetradrachmum* fuit Attico. Rectè ergò Josephus, *τάλαντον*
ὁ γὰρ σίκλος, inquit, νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται
δραχμὰς τέσσαρας, *Siclus Hebræorum nummus quatuor drach-* *lib. III. An-*
mas Atticas continet. Eusebius, quod Matthæus habet *tiq. Jud. c.*
τριάκοντα ἀργύρια, transcribit τριάκοντα στατῆρας. *Stater* *12.*
(alias *tetradrachmum*) in altera facie Minervæ caput, (quâ *lib. IV. de-*
causa παρθένος & κόρη sæpe appellatus est) in altera no- *monst.*
ctuam ostendebat. Erat 4. drachmarum, ut non solum *Evang.*
Epiphanius, Hieronymus & Hesychius authores sunt, *lib. de pon-*
K
sed & *der. ad c.*
IV. Ezech.

ſed & conferenti in *cap. XVII. Matth. v. 24.* cum 27. appa-
in voc. στατῆρ ret. Triginta ergò argentei erunt XXXIII ad XXXVI flo-
reni Hollandici, XV, ut Matthæus Hoſtus cenſet, *Impe-*
riales. Tam vili pretio æſtimatus cœli terræque condi-
lib. IV. rei num. c. 5. tor. Quod myſticè expendens Ambroſius ſcitè ait; *Tam*
vili auctione vult æſtimari Christus, ut ab omnibus ematur &
in Luc. VII. Epiſt. IV. ad Severum. Paulinus. *Nos magno emit, non vendit. Nos ille vult pre-*
tioſos facere ſui muneris vilitate. Ipſe nobis hac pietate pre-
tioſior, quod ſe vili vult æſtimari, ut ab omnibus ematur.

XXIII.

HAKELDAMA.

Sacerdotes memores fortè legis Moſaicæ, quâ prohibentur offerre Domino pretia malè parta *Deut. XXIII, 18.* pretium ſanguinis Corbonæ ſeu gazophylacio inferre nolunt, inſigni prorſus hypocriſi & malitiâ. *Qualis enim innocentiæ hæc fuit ſimulatio, pecuniam ſanguinis non mittere in arcam, & ipſum ſanguinem mittere in conſcientiam?* inquit Auguſtinus.

Pretio ergò ſanguinis innoxii Judæ numerati locus emitur ad ſepulturam peregrinorum idemque vocatur ἀγρὸς αἵματος Matth. *XXVII, 8.* Ἀκελδαμὰ, τοῦτ᾽ ἔστι, χωρίον αἵματος. Act. *I, 19.* & apud Vulgatum Matthæi Interpretem ad *c. l. Hakeldama.* Vox eſt Syriaca, notans *agrum*, vel *campum ſanguinis*, quam Syrus Paraphraſtes interpretatur קירית דם quod Latinè redditur, *ager ſanguinis*, ſic dictus, quia pretio ſanguinis, quo Magiſtrum ſuum, ut traderet, Judam allexerant Pontifices, comparatus eſt. Antea vocabatur ὁ ἀγρὸς τοῦ κεραμέως, *ager figuli*, vel quod figulum haberet poſſeſſorem; vel quod figulis

ſubmi-

subministraret terram ad vasa sua conficienda; vel quod esset prope portam figuli seu fictilem, Jeremiæ memorātam, vel quod eo deportarentur fragmenta vasorum fictilium, ut conjectat Villalpandus. *part. I. appar. l. III. c. 25.*

Hæc de *Nomine*. Quod *Emptionem* agri attinet, seducti videntur à Prudentio, qui de pugna inter avaritiam & liberalitatem disserens, *in Psychom.*

> - - - - - - - - *Nonne triumphum*
> *Egimus è Scharioth, magnus qui discipulorum*
> *Infamem mercatus agrum de sanguine amici*
> *Numinis, obliso luiturus jugera collo?*

Augustinus & Arator, qui agrum hunc ab ipso Juda emtum arbitrantur. Pontificibus, sive id ipsi fecerint, sive quod credibilius, per ministros, id tribuit Evangelista. Emptus autem hic Ager videtur non continuò post conjectos in templum nummos, sed datâ occasione demum post festum Paschatos, quo festo contractus inire delictum erat inexpiabile. Nec obstat series Matthæi historica. Sæpe enim Scriptura non temporis Ordinem attendit, sed dicendi occasionem. *Tract. de IV. Fer. c. 3. Lib. I. in Act. vers. 95.*

Situm agri quod concernit, falluntur, qui eum in urbe locant. Nam primò, cùm constet Judæos extra urbem sepulcra sua habuisse, credibile non est, pauperes hospites in ipsa urbe sepultos. Præterea Hieronymus testatur, adhuc sua ætate locum illum Hierosolymis fuisse ad plagam australem montis Sion. Quod confirmat αὐτόπτης Brocardus, addens, agrum illum inter piscinam superiorem & natatoriam Siloe situm fuisse. *de loc. Hebr.*

De *virtute* agri hujus Cl. Cheitomæus ita differit; *singularem terræ hujus in consumendis cadaveribus virtutem tradunt, quod viginti quatuor horarum spatio defunctorum* *lib. de græc. cobarb. voc. N. T. p. 25.*

 corpora

corpora in pulverem redigat, nec eam vim perdat in alias delata regiones. Fides sit penes Ballesterium.

XXIV.

XENOTAPHIUM.

Certum est, fuisse semper in omni benè instituta Republ. loca quædam, quæ vel tenuiorum, vel peregrinorum, vel omnium quorumcunque, qui solo destituebantur proprio, sepulturæ paterent. De Judæis affirmat *h. l.* Matthæus. Apud Romanos verò locis funeribus pauperum destinatis *Puticulis* nomen erat: *Extra oppida*, inquit Varro, *à Puteis Puticulæ. Quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potiùs, ut Aelius scribit, Puticulæ, quod putrescebant ibi cadavera projecta, qui locus publicus ultra equilias.* Clariùs Festus Puticulos tradit antiquissimum genus sepulturæ appellatos, quod ibi in puteis sepelirentur homines. Et subdit, talem fuisse locum, qualis erat suo tempore, quo projici solebant cadavera extrà portam exquilinam. Horatius;

lib. XIV. de ling. Lat.

lib. XIV.

lib. I. serm. sat. 8.

Hic miseræ plebi stabat commune sepulcrum
Pantolabo scurræ, Nomentanoq; Nepoti
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; hæredes monumentum ne sequerentur.

comm. in Jul. Front.

Loca non absimilia Agenus Urbicus *culinas* dictas testatur. *Sunt*, inquit, *in suburbanis loca publica inopum destinata funeribus, quæ loca culinas appellant.* Habebant etiam Græci Xenotaphia, in quibus peregrinos sepeliebant, *Polyandria* dicta, quod omnibus essent communia, auctore Suidâ. Vetus lapis;

FORTISS.

LXXVII.

FORTISS. MIL. V. & XIX. LEG. QUORUM OPERA FORTITER VETERA CASTRA DEFENSA SUNT POLYANDRION.

Cæterùm per *peregrinos h. l.* Hilarius intelligi vult ἀλλοφύλȣς, seu *eos, qui erant alterius gentis atque religionis*, quales multi Hierosolymam venêre post Judæam à Romanis subactam. At illorum curam tam solicite tetigisse Sacerdotes quis crediderit? Nec poterant ἀλλοφύλȣς, utpote Præsidi Romano subjectos, cogere, ut in eum, quo ipsi vellent, locum mortuos suos defoderent. Multo minus assentior Viris Clarissimis, Grotio & Vossio, qui per *peregrinos* intelligunt *Judæos*, qui ex longinquis regionibus Hierosolyma adventabant religionis ergò, ibidemque morte occupati non habebant ubi sepelirentur. Credibile enim non est, ante haud prospectum fuisse eorum sepulturæ, aut avitæ Judaici stemmatis gloriæ, qua maximè superbiebat illa gens, tam vilem agellum sufficere potuisse. Omnium tutissimè, meo judicio, per ξένȣς intelliguntur *proselyti* ex gentibus ad verum Deum Israelis conversi, qui urbem sanctam propter Templum & sacrificia in eo offerenda frequentabant. Hos, præsertim tenuioris fortunæ hospites, ob originem diversam in sua sepulcra ægrè admiserunt Judæi, ob eandem religionem tamen de honesta sepultura iis quam maxime prospectum esse voluerunt. Can. XXXIII in Matth.

Apponi merentur hic, quæ habet Augustinus; *Providentia Dei factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumtum præbeat, sed peregrinis requiem subministret; non sacrilegis sit ad lucrum, sed defunctis sit ad sepulcrum, ut jam exinde Christus & vivos passionis sanguine redimat, & mortuos pretiosa passione suscipiat. Istos peregrinos quos esse dicimus?* Serm. CXXIIX. de temp. t. 10.

cimus? nisi devotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt. Christianus enim qui mundum non possidet, totum possidet Salvatorem. Addimus illa Prosperi; *Judas cum pretio simul vitam perdidit. Judæi pretium & Christum amiserunt. Gentes verò lucrum gratiæ possidendo possessæ sunt.*

lib. I. promis. & prædict. Dei c. 26.

XXV.
MORS PRODITORIS.

De Juda sceleris pœnitentiâ ducto Matthæus *c. XXVII, 5. Et projectis in templo argenteis secessit* καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. *Eccè infelix qualiter excæcatus est! maluit seipsum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, seipsum laqueo addixit*, inquit Drogo Hostiensis. At quid sibi velit verbum ἀπήγξατο, quo proditoris mors describitur, prolixè disquirunt Eruditi. Nonnulli ad *mœrorem* solum referunt, putantque Judam tortæ conscientiæ stimulis ita agitatum, ut mœrore spiritum constringente, halitum ducere liberum non potuerit. Præter Grotium & Heinsium prolixè hanc sententiam defendit I. Priczus, Ἀπάγχεσθαι, inquit, *ego expono, non laqueo præfocari, sed vi ac impetu mœroris vitam evadere. Lucanus* solo dolore mori *dixit. Ovidius mente non absimili,*

de sacr. dom. pass.

ad h. l.

Strangulat inclusus dolor - - -

Sane sic sumi vocem eam quandoque non inficias eundum, quo spectat apud Aelianum illud, Σωκράτης κωμῳδούμενος ἐγέλα· πολίαρχος ἢ ἀπήγξατο, *id est*, præ ira mortuus est, aut præ mœrore. *Sic enim debere intelligi, præcedentia clamant,* Σκώμματα οὐ μόνον ἐλύπησε πολλάκις, ἀλλὰ καὶ ἀπέκτανε &c. Putat Vir Clarissimus, τὸ ἀπάγχεσθαι nullam mortis speciem

hoc

hoc loco notare, sed animi tantum angorem & ægritudinem. Si quæras, quâ morte ergo Judas è vivis abjerit? Respondet, nec mœrore, nec suspendio, sed præcipitio id factum, idq; probat, tum quia hominibus malo Genio & intemperiis actis id genus exitii solenne admodum fuit; tum quia præcipitio interemtis viscera effundi solita. Prius adductis multorum Auctorum testimoniis lucide ostendit. Apud Senecam Phœdra.

Decreta mors est, quæritur fati genus:
Laqueone vitam finiam, an ferro exigam?
An missa præceps arce Palladia cadam?

Apud Terentium ille,

--- *Occidi,*
Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc
Me præcipitem darem!

Psyche apud Apulejum, *Certe præcipitium mihi capessendum est.* Arnobius de Simone Mago, *Pudore defessus* (ἀπαγχ-θεὶς) *ex altissimi culminis sese præcipitavit fastigio.* Posterius quoque etsi sine ullis auctoritatum adminiculis sit vel ipsi sensui communi expositum satis, firmat multis Auctorum testimoniis. Lucanus,

Hic se præcipiti jaculatus pondere, dura
Dissiluit percussus humo

Apulejus de latrone ab anu præcipitato; *Super quendam vastissimum lapidem propejacentem decidens, perfracta diffissaque crate costarum &c. vitam evasit.* Si quæras, quid sibi velit apud Lucam vox μέσ@? respondet Vir Doctiss. esse meram δεινότητα, elegantiæ & efficaciæ orationis inservientem tantum, sicut apud Plautum in Cas.

Aedepol ego illam mediam disruptam velim

Et apud Virgilium,

Omnia

Omnia vel medium fiant mare.

Servius, *Ut nihil sit nisi mare.*

Sunt, qui putant, Judam ſubitò morbo, qui Hebræis, אסכרה, Græcis ἀγχόνη, Latinis *angina* dicitur, exſtinctum eſſe. Et quia, referente Elia *in Thisbi*, אסכרה apud Rabbinos idem eſt quod מחנק *ſuffocatio*; ideo exiſtimant Judam adhuc puerum, morbo hoc correptum, ac tunc evadentem אסכריוטא *Iſchariota* à parentibus dictum, adultum tandem ex graviſſimo peccati divinæque iræ ſenſu hoc morbo ſuffocatum fuiſſe, ita ut pronus concidens, vi intercluſi ſpiritus, crepuerit medius, effuſaque ſint ejus viſcera. Facit huc, quod Elias *l. c.* quosdam in ea opinione eſſe ſcribit, quando *II. Sam. XVII, 23.* de Achitophele memoratur, quod יחנק LXX ἀπήγξατο, eveniſſe ei morbum hunc præ nimio animi dolore & tædio, quod non ſucceſſiſſet conſilium.

Qui de *ſuſpendio* exponunt, Viri magni, Salmaſius, Caſaubonus, Calixtus, Gerhardus, & alii, tuentur ſeſe propria verbi ἀπάγχεσθαι ſignificatione. *Hoc verbo*, inquit Salmaſius ὁ μέγας, *non aliter utuntur Græci ſcriptores. Nec aliter verba Aeliani capi poſſunt*; Socrates in ſcena deriſus ridebat, Poliagros ſe ſuſpendit. *Non* præ ira mortuus eſt, *ut vulgo accipiunt. Nunquam hoc verbum Græcis in alia notione acceptum eſt.* Nituntur inſuper Verſionum N. Codicis auctoritate; Hebræus reddit יתתל בפח *laqueo ſe ſuſpendit*, quomodo inter Latinos Vulgatus ad verbum expreſſit. Syrus vertit, חנק נפשה *ſtrangulavit animam ſuam*, i. e. *ſeipſum*, perinde ut Job. *VII, 15. Elegit* מחנק *anima mea*, h. e. *ego.* Gaudent inſuper hi Viri totius fere Antiquitatis conſenſu. Irenæus, apud Euſebium, (a) ait, Montanum &, Maximillam, quos conſtat ſuſpendio vitam

(a) lib. V. Hiſt. Eccleſ. c. 15.

vitam finiisse, eodem periisse letho cum Juda. Etiam de suspendio assentiunt Apollinaris. (*b*) Prudentius, (*c*) Chrysostomus, (*d*) Augustinus, (*e*) Leo, (*f*) Arator, Beda, (*g*) Bernhardus. Addunt nonnulli antiquissimum scriptorem Ignatium, qui Μεταμέλον, inquit, (*h*) ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, καὶ ἀγχόνην διδάσκει, *Pœnitentiam* (Princeps mundi) *immisit proditori, & laqueum illi commonstravit, & suspendium, quo strangularetur, edocuit.* Sed major esset verborum istorum auctoritas, si Epistola genuina foret. Quod eruditis vix fit verosimile, tùm quia dictio & character τοῦ λόγου floridior est quam Ignatii, tùm quia nec Theodoretus, nec Eusebius, nec Hieronymus eam agnoscunt. Interim conferri hic merentur Oecumenius in Act. I. Juvencus lib. IV Evang hist. & Cedrenus in compend. Histor.

(b) in Christo patient.
(c) in Psychomachia.
(d) serm. III. de Juda.
(e) libr. I. cont. Felicem. Man.
(f) serm. III. de pass. Dom.
(g) l. de loc. sanct. c. 4.
(h) Epist. ad Philipp.

Si quæras, quomodo cum suspendio conciliari possint verba Petri in Actis, καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ? Censent nonnulli, Judam suspendii periculo exemtum in loco angusto à curru transeunte sic fuisse oppressum, ut rupto ventre exciderint intestina. Ita Oecumenius ex Papia: ὁ ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπεβίω, καθαιρεθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι· καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν Ἀποστόλων πράξεις, ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος· τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων. Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν ἰούδας. Πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. *Judas non est mortuus suspendio sed supervixit. Dejectus est enim prius, quam præfocaretur. Idque Apostolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius scripsit Papias, Joannis Apo-*

ad Act. I.

nis Apostoli discipulus, *dicens*; *Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Judas. In tantum enim corpore est inflatus, ut progredi non posset: cumque currus leni cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina.* Si fons erroris aperiri debet, notandum est accurate Eusebii, quod de Papia fert, judicium. Fuisse eum narrat scriptorem futilissimum, qui omnes traditionum fabellas mirifice amplecteretur, & scriptis mandaret. Observat inter alia Eusebius, solitum Papiam nugas comminisci, τὰς Ἀποστολικὰς παραδεξάμενον διηγήσεις *ex prava Apostolicarum narrationum interpretatione.* Omnino hæc origo est commenti Papiæ de Juda, quod perperam interpretatus est verba Petri in Actis. Nam quod Petrus habet, πρηνὴς γενόμενος, ipse explicat, πρησθεὶς, *inflatus.* Certe πρηνὴς γενόμενος, idem est quod πρηνιχθεὶς: utrumq; explicat Hesychius, πρηνὴς, ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκώς. Et πρηνιχθέντα, ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα. At πρήθειν poëticum verbum est, de vento flante vehementius usurpatum. Et quia tument carbasa, cum flat ventus, ideo pro *tumere* est positum. Prolixius de hisce Casaubonus,
(a) Exerc. XVI num. 69 (a) Theophylactus & Euthymius (b) existimant Judam
(b) Ad c. XXVII. Matth. suspendisse se prius, sed vel arbore in terram inclinata, vel aliquibus supervenientibus, qui laqueum adimerent, supervixisse aliquantum, at postea novis actum Furiis semet præcipitem dedisse, sic ut medius creparet, visceraque effunderet.
l. c. Augustinus censet, fracto laqueo Judam decidisse præcipitem, & sic vitam finiisse, ferè ut
Decl. XVII. l. c. Quintilianus, qui; *Strictos*, inquit, *circa collum laqueos aut nexus, aut ipsius corporis ruina fefellit.* Clarius Casaubonus; *Matthæus expressit facti initium, Lucas finem, supplens divinitus, quod deerat narrationi Matthæi. Consilium*

prodito-

proditoris fuerat, ſtrangulatione ſibi vitam eripere. Aptat collo laqueum; impellit ſe ut eo facilius fauces elidat. Placuit divinæ providentiæ, ut non ſimplici morte ſceleratus proditor periret: Frangitur laqueus, cadit in faciem Judas: id enim eſt πρηνὴς γενόμενος. *Cadit autem vel in ſaxum fortaſſe aſperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias, DEI judicio, venter illi finditur: inteſtina effunduntur. Vox* ἐλάκησε *ſvadet non tam caſus violentia, quam arcana DEI voluntate, fiſſionem in ejus corpore factam eſſe, vi quadam extraordinaria intùs operante.* Aſſentiunt Gerhardus & Calixtus.

Strangulationem qui lubens admitto, inter activam & paſſivam diſtingui velim. Suſpendium ſui nec memoratur à Luca, nec tàm immani ſceleri ſufficiebat. Strangulatus eſt Proditor à Diabolo, qui eum jam per triduum inhabitaverat. Sic optimè conveniunt ea, quæ habet Lucas de præcipitio. Nimirum raptum Judam in ſublime Diabolus ſtrangulavit ac præcipitem dedit, ita ut ad terram alliſus rumperetur medius, atque effunderentur, juſto DEI judicio, viſcera corporis ei, qui non haberet viſcera miſericordiæ, & tam horrendo exitu egrederetur Diabolus. Hoc ipſum firmare videntur verba Petri; *Innotuit hoc omnibus habitantibus Hieroſolymis.* Facinus, quod perpetrarat, fuit ſupra omne exemplum. Exempla plurima habebat ſuſpendium ſui, & eorum, qui Hieroſolymis habitabant, obſervationem non tam merebatur, quam hæc noſtra, ſuffocatio & præcipitatio, ſupra modum horrenda, ſupra exemplum rara. Convenit exactè nominis ratio ſupra allata. Judam enim *Iſcharioten* dictum ab אסכרא graviſſimorum Virorum ſententia eſt. Quæ vox quid ſibi velit, teſtantur Gemarici, Bab. Beracoth; *Aſper-* *Fol. 8. 1.*

 rima

rima mors inter omnes est אסכרא, ubi Glossa, אסכרא
נגו למנט בלועז *Iscara vernaculè est strangulatio.* Ge-
mara asperitatem ejus illustrat hoc simili אסכרא
דמיא כחיזרא אגבבא דעמרא דלאחורי נשרא
*Est similis ramis spinarum in vellere lanæ, quos si quis violen-
ter à tergo vibret, impoßibile est lanam ab iis non convelli*
Schabb. fol. 33. in Glossa sic definitur, אסכרא מתחיל במעים
וגומר בגרון *Iscara incipit in visceribus, & desinit in gutture.*
Conf. Matth. Ligtfotum.

XXVI.

PILATUS PROCURATOR.

Placuit Judæis, quò sententiam damnatoriam in Servatorem dictam exsequerentur, eum vinctum mittere ad Pontium Pilatum, Judææ tum temporis ἡγεμόνα. Nequaquam suspicione caret, quod Pontium Pilatum *Syriæ legatum* fuisse scribit Lactantius. Fuisse illum tantum Judææ procuratorem, disertè testatur Tacitus, *Author nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Qui Pilatum incuriosè nimis *Præsidem* vocitant authores, seducti videntur voce ἡγεμόνος, quæ, apud Josephum inprimis, modò provinciæ præsidem, modò legatos & procuratores Cæsaris designat. Antonius Gabinii legatus dicitur ἡγεμών. Præsides Syriæ eàdem passim denotantur appellatione. Sub Silano Syriæ Præside Judæam à Pilato gubernatam, certum est. Non autem peculiaris tunc erat provincia, sed ad Syriam pertinebat Judæa, quamvis belli tempore divisæ erant, sicut Vespasiano Judæa, Muciano Syria parebat Vitelliano tumultu. De Silano res adeò

lib. IV. de ver. sap.

lib. XV. Histor.

LXXXV.
vera eſt, ut accuſarint coràm eo aliquando Pilatum Judæi, referente ex probatiſſimis Hiſtoricis Cl. Barthio. *Procuratorem* ergò Judææ omnium rectiſſimè dixeris Pilatum. Fuiſſe tamen etiam memineris procuratorum duo genera. Rationales alii dicebantur, qui ſolis vectigalibus colligendis vacabant, alii prætereà provinciis minutioribus præſidum vice cum aliqua poteſtate præerant, & jurisdictionem aliquam, nullo præſide præſente, inter provinciales exercebant. His poſtremis ſi Pilatum accenſeas, vix erres.

XXVII.

PRÆTORIUM.

Manè ex ædibus Caiphæ per urbem mediam Servator raptus in Prætorium ad Pontium Pilatum. Vox πραιτωρίȣ non Græca eſt ſed Romana, Græcis literis ſcripta, & à Procuratoribus, ac præſidiariis Romanorum militibus, una cum aliis nominibus, Judæis in uſum recepta. Certè ominoſum eſt populis, quando voculæ exoticæ in communem loquendi uſum introducuntur. Quod & Judæi experti ſunt, qui poſtquam vocabulis Romanis uti cœperunt, à Romanis tandem ſunt oppreſſi.

Cæterùm de Prætorio Lipſius; Dicebatur Tabernaculum, quod duces exercituum, vel Imperatores ſ. Conſules, ſ. Dictatores, ſ. Prætores, ſ. Tribuni militum conſulari poteſtate ii eſſent, occuparent. Nomen autem inde habet, quod initiò Conſules, qui plerumq; bella adminiſtrabant, Prætores dicerentur. Ita Quæſtorium erat tabernaculum Quæſtorum. Forma Prætorii fuiſſe videtur rotunda, teſtudinea, i, e, curvata in cameram

rotundiorem. Hac causa fortasse Josephus cum Templo componit, quod templa pleraq; talia, aut etiam quod eminebat in mediis castris, ut in urbe aliqua templum. An & quia religio ibi & pars sacrorum? certè in eo Augurale fuit, ubi sacrificare & auspicari Imperator solebat: nam ante illud ara fuit, in qua solemniter libamenta aliqua illata & cremata, quotidianæ religionis ergò: Auguratorium vocat Hyginus, qui & situm ejus parte dextrâ Prætorii docet, ut tribunal lævâ. Tota igitur area s. pedatura Prætorii erat quaternûm jugerum s. potiùs versuum. Versum autem dicunt 100 pedes quoquo versus quadratum. Pedatura verò Latinis est quod Græcis ποδισμὸς, etsi podismi ipsa Græcanicá voce crebrò in hac re Vegetius usus. Ποδισμὸς a. dimensio, aut & dimensum ipsum per pedes, sicut σαδιασμὸς per stadia. Situs prætorii in medio non quidem castrorum sed & aliorum ducum. Nam semper veteri & novo more in medio Tribunorum, aliorumque ducum Prætoris locus. Profectò ut in acie Prætor s. Consul post Hastatos & Principes ante Triarios stabat, mediâ ferè acie & ad latera Tribuni; ita hic, nisi quod pro Triariis Ablecti & Extraordinarii & Evocati substituti. Et hic situs magnæ rationis fuit. Primùm non longè ab hoste & ad prætoriam portam, quæ illum fere semper spectabat; nimirum ut observet si quid ille moliatur aut moveat, & nuncios quoque ac exploratores statim admittat: causa altera, ut duces omnes circum se habeat, quorum consilio, cum opus, statim utatur, item jubeat aliquid aut mandet; tertia, ut in conspectu habeat subjecta castra, & militem totum, videatq; si quid peccent aut turbent. Ipse illo aspectus coercebat milites, qui sciebant, semper sub oculis sui ducis se versari; coëq; in omni-

in omnibus magis compositè se gerebant: deniq; causa hic etiam honor & dignitas, quod media omnia honestiora & tutiora. Hæc Lipsius, & de Prætorio quidem, ni fallor, castrensi.

Pilati prætorium judiciale fuisse cum Ambrosio plerique existimant Interpretum. At quis credat in ipso tribunalis Throno Christum per ludibrium collocare regemque salutare ausos fuisse milites? Erat thronus iste, & judicum tribunal tactu purpuræ sacrum apud Romanos, ut nulli mortaliũ temerè attingere aut per ludibrium profanare liceret. Quin disertè docet Johannes intus in Prætorio Pilatum non habuisse tribunal suum. *Cap. XIIX, v. 28.* Judæi Prætorium introire recusant. *v. 29.* prodit ad illos foràs Pilatus. *v. 33.* intus ingreditur, ubi erat Christus. *vers. 38.* prodit secundò foràs ad Judæos. *Cap. XIX, v. 1.* regreditur iterùm ad locum, ubi Christus illusus flagellabatur, quod inde probatur, quia *v. 4.* foràs tertiò exiisse cum Christo dicitur. *Vers.* verò *9.* cum eodem Jesu regreditur ad Prætorium, ut secretò ex illo quæreret, unde esset. Tunc tandem *v. 13.* dicitur; *Adduxit foràs Jesum, & sedit pro tribunali.* Tribunal ergò foris, extra Prætorium, non intus in Prætorio. Non nego, priscorum jam Patrum ævo judicum tribunalia *Prætoriorum* nomine dicta. Ipse enim Justinianus Imperator; τὰ δικαστικὰ καταγώγια πραιτώρια καλεῖν ἔταξαν, *judicialia cubicula Prætoria vocare decreverunt.* Quin & concedo de Prætorio judiciali loqui Paulum *Philip. I, 13.* ut plurimùm tamen apud Romanos Prætoriorum nomine venisse statuo Magnatum aulas domusq; superbiores. Sic *Act. XXIII, 35.* Prætorium Herodis dicitur aula, ubi Herodis milites excubabant, quæ jam apud Romanizantes Hebræos Prætorium.

Serm. XVII.

novel. XXIV.

rium audiebat. Ipſam enim Tribunalis domum quis unquam ad cuſtodiam deputaverit? Ita quoq; Pilati Prætorium nihil aliud fuiſſe exiſtimo, quam amplam illam aulam, quæ in ejus palatio ab atrio venientes excipiebat, ubi milites cuſtodes agendis excubiis commorabantur. Hinc paſſim apud Romanos prædicti milites *prætoriani* dicebantur, & prætorianæ legioni ſ. prætorio Præfectus apud Græcos, ἔπαρχος αὐλῆς. Quin ſuperbiora quævis villarum etiam ædificia Prætoria dicebantur. Auſonius;

in Moſel. *Quas medio dirimit ſinuoſis flexibus errans*
Amnis & alternas comeant Prætoria ripas

lib. I. Sil. 3. Statius;
- - - - *alternas ſervant Prætoria ripas*

Martialis;

lib X. ep. 79. *Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.*

Prætoria i, e, villas magnificas. Lepidè quoq; Hieronymus Diogenis dolium *Prætorium* appellat, ut quod ipſi inſtar eſſet palatii magnifici. l. II cont. Jov.

XXVIII.

INTERROGATIO JUDICIALIS.

Pilatus Chriſtum ad ſe delatum interrogat, *Tune es rex Judæorum*? Nimirùm judiciorum criminalium pars non minima erat rei interrogatio. Hujusmodi interrogationum exempla exſtant in hiſtoria Evangelica *Joh. XVIII, Act. XXII & XXIII.* Apud Livium inſignis eſt illa, quâ Q. Fabium Magiſtrum equitum, cùm à Prætore citatus ex inferiore loco ad tribunal acceſiſſet, Papirius Curſor dictator interrogat. De Auguſto Svetonius; *Dixit jus non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate: ſiquidem manifeſti parricidii*

reum

reum, ne culeo insueretur, quod nonnisi confessi afficiuntur hac pœnâ, ita fertur interrogasse, CERTE PATREM TUUM NON OCCIDISTI? Irenarchis mandatum fuiſſe, ut interrogationes literis incluſas, atque obſignatas ad cognitionem magiſtratus mitterent, docet Briſſonius. Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo eſſet is qui interrogabat. Exemplum illuſtre ſuprà in Auguſto, qui ſua interrogatione tacitè reo viam ſalutis aperuit. Contrà, qui perditum reum volebant, omnibus modis illum in fraudem ſuis interrogationibus inducere conabantur.

Reſpondet Pilato Servator, ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν. Eleganter Theophylactus; οὐκ εἶπεν, οὐκ ἔστιν ἐν τῷ κόσμῳ, οὐδὲ οὖν ἐνταῦθα, ἀλλὰ, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου, καὶ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν, h, e, ut eodem ſenſu Lutherus; *Non dicit, Regnum meum non eſt hic, ſ. in hoc mundo: ſed non eſt hinc, ſ. de hoc mundo.* Hinc & alibi *regnum* dicitur *cœlorum Matt. III, 2.* E celo enim ſuam habet originem, celeſti adminiſtratur modo, celeſtia exigit officia, celeſtesq; animos, celeſtia proponit beneficia, ad regnum ducit celeſte, & ſicut inchoatur in hoc, ſic perficitur terminaturq; in futuro ſeculo.

ad h. l.

de libert. Chriſt. fol. II.

XXIX.

SILENTIUM CHRISTI.

Judæis Dominum in multis culpantibus, Pilatoque nihilne adverſus ea reſponderet, interrogante, Servator οὐκέτι οὐδὲν ἀπεκρίθη, adeò ut miraretur Pilatus. Marc. *XV, 5.* Idē feciſſe legitur Herodi *Luc. XXIII, 9.* non quod calumniis conſentiret, ſed ut tacendo calumnias elevaret. Egregiè

 Ambro-

Ambrosius, *Accusatus Dominus, & tacet, & benè tacet qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergò accusationem tacendo confirmat, sed contemnit non refellendo.* Neq; innocentiam tantum suam, sed & divinitatẽ *triumphali* hoc, ut idem vocat Ambrosius, *silentio* testatus est Dominus. Purus etenim homo continere se vix potest, quò minùs tàm spurcas, tamque iniquas à se retorquendo devolvat calumnias. Quod observans Cyprianus, *Inter cætera*, inquit, *admirabilia virtutum, quibus judicia divinæ majestatis expressit*, (Christus) *paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit.* Quæ fortasse causa fuit, cur pertinax hoc Domini silentium demiraretur Pilatus, ratus non esse humanum tàm profundum silentium, sed divinum. Silet Dominus, quia hostibus nullo satisfieri responso posse prævidet. Silet, quia animum jam ad subeundam mortem obfirmarat. Silet, quia præire nobis volebat exemplo patientiæ. *Malum hominem meliùs tacendo potest aliquis vincere, quàm respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Et ideò Dominus tacendo compescere studuit, quos respondendo compescere non potuit*, inquit Autor Operis Imperf.

serm. XVII. in Ps. CXVII.

lib. de bono patient.

homil. XXXVIII.

XXX.

VESTIS CANDIDA.

Herodes Jesum, quia Rex Judæorum dicebatur, candida indui veste jussit, qualis Regi conveniret, & sic indutum remisit ad Pilatum, ut narrat Lucas *c. XXIII, 2.* Vestem λαμπρὰν vocat Evangelista, Syrus vertit, *Vestibus coccineis* Interpp. Tremellio & Anglicano. Arabs & Persa: *vestibus rubris* & ob ruborem micantibus, Aethyops; *veste purâ.* Λαμπρὸν propriè est *luminosum* τὸ οἷον ἐπιπέμπειν αὐγὴν

ἐπιτή-

ἐπιτήδειον, *quod lumen emittere est idoneum*, ut ſcribit Galenus. *Lumen* quidem in rigore non eſt coloris nomen, ſed affectus qui ſequitur colores intenſiores & κατακορεῖς. Autoritate tamen Cl. Salmaſii perſvadeor ferè ut credam, *lumen* ſubindè poni pro colore. Tertullianus *concilium luminis* appellat, quod alio loco conciliamentum colorum dixit. In purpura certè color ipſe *lumen* appellatur. Trebellius Pollio inter dona Claudio à Gallieno miſſa recenſet *Chlamydes veri luminis*, h, e, veri coloris. *Verus color* autem eſt purpureus, & ità κατ᾽ ἐξοχὴν Latini purpureum colorem nominârunt. Quin & Græci ἀληθινὸν χρῶμα dixêre pro purpureo vel coccineo. Atq; indè etiam *holovera* veſtes dictæ, quæ totæ ex illo vero colore eſſent, totæ ex purpura. Puto huc reſpexiſſe Interpretes Syrum, Arabem & Perſam.

lib. X. de uſu part.

de pallio.

Vetus, qui vertit, *veſte albâ*, non equidem usque adeò reprehendi meretur, quia λευκὸν & λαμπρὸν, præprimis in ſacris, ſæpe de eodem uſurpantur. *Act. X, 30.* Angelus Cornelio apparuiſſe dicitur ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. At *Matt. XXVIII, 3.* ἔνδυμα λευκὸν Angelo tribuitur. Sic ἐσθὴς λαμπρὰ divitum & nobilium τῇ ῥυπαρᾷ pauperum & abjectorum opponitur, *Jacob. II, 2.* Quin & apud ipſum Hippocratem de eodem uſurpantur λαμπρὸν, λευκὸν & διαφανές. Rectiùs tamen, meo judicio, vertitur; *Veſte candida*, quàm *veſte alba*. J. Lipſius demonſtrat, Romanis in veſtitu placitum quondam colorem album, ſive, quia is, ut Plato vult, lætitiæ proprius & Deorum, ſ. potius agreſtis illa & prima gens, ſpretis accerſitis coloribus, lanæ nativum retinuit, i, e, album. Sed petitores non contenti inſito lanæ colore, cretam addebant in veſte, ut candeſceret, imò ſplenderet. Ideò Polybius λαμπρὰν dicere maluit

lib. de diæt. in morb. acut.

Elect. l. I, c. 13.

petitorum togam, quàm λευκὴν, in Latio commodè eam dixerimus *splendentem*. Hac ergò nota petitores honorum à vulgò discreti & κατ' ἐξοχὴν dicti *Candidati*. Quàm benè hæc quadrant in candidatum mortis celivè, Mundi Servatorem, affectatæ Majestatis regiæ falsò insimulatum!

Cæterum non caret hæc res mysterio. Vestis alba *regiæ Majestatis* insigne erat, ut observat Casaubonus. Ideo Pompejus Magnus affectati regni erat suspectus, quod *cretatis* uteretur *fasciis*. Nihil enim referre ajebant, qua corporis parte diadema gestaret. Candida vestis *lætitiæ* signum, unde & in spectaculis & conviviis & omni ludorum genere eo plurimùm colore delectati Veteres. Valerius Maximus; *Senatus post Cannensem cladem decrevit, ne matronæ ultrà trigesimum diem luctus suos extenderent: itaq; matres ac filiæ conjugesq; & sorores nuper interfectorum, abstersis lacrymis, depositis doloris insignibus, candidam induere vestem.* Et Plutarchus; *Allato hoc oraculo, cùm Achæi cuncti gavisi sunt, tum Sicyonii præcipuè; qui, converso in festum luctu, protinus corpus, candidis amicti vestibus, carminibus & tripudiis in urbem suam deduxêre.* Hanc ob causam, nî fallor *Joh. XX, 12.* resurrectionis dominicæ testes Angeli albis vestiti cernuntur, quod lugendi temporis finem accepissent in morte Servatoris, ejusq; anastasis gaudium immortale mortalibus attulisset, ut agnoscit Gregorius. Sed & *honoris* signum vestis erat alba, quâ à servo ingenuus, à plebejo discerneretur nobilis. Festivè Bernhardus; *Utilior in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea, licet oneri sit illa, hæc honori.* Certè suprà vulgi censum quidpiam spondet pollicitator Apocalypticus *cap. III, 5.* inquiens, *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis.* Jacobus quoque *cap. II, 2.* illustres â proletariis candidâ discernit veste, per quam tamen non

ad Sveton. l. I, c. 97. — *lib. II, cap. I.* — *in Artexerxe* — *Homil. XXI. in Evang.* — *Serm. IV de nativ. dom.*

non albam utcunque intelligit, ſed in qua laboraverit ars poſt naturæ induſtriam, & quæ non ſolùm candidior reddita ſit fullonum ſtudio, ſed fulgens inſuper & ſplendida; λαμπρὰν enim vocitat non λευκὴν. Romani ſervos, quos *lib. de reſur-*
manumittebant, annulo donabant candidoque amictu. *rect. carm.*
Hinc Tertullianus; *Oro te, ſi famulum tuum libertate mu-* *c. XXXVII.*
taveris: & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & Patroni nomine, ac tribu, menſaq; honoratur.

Quin & Deorum erat color albus. Vitio datum eſt Camillo, quod *albis equis*, quaſi Deorum æmulus, triumpharet. Deorum filios *albos* appellari refert Plutarchus ex Platone. De Cæſare jam celi incola Virgilius.

Candidus inſvetum miratur lumen olympi.

Convenit quod Apocalypſis Johannis de *electis albis indutis* memorat. Præterea apud gentes veſtis alba *Sacerdotii* inſigne erat. Nam cum ſacris operabantur, tam Sacerdos, quam ille qui ſacrificium exhibebat, albati erant. Sic Athenis Prytanei ſacra faciebant λευχειμονοῦντες καὶ ἐστεφανώμενοι, *albis induti & coronati*, eodemque habitu curiam ingrediebantur, an litaſſent, renuntiaturi, ut ex Plutarcho & Theophraſto notat Caſaubonus. Cum igi- *Exerc. XVI.*
tur veſtis candida apud Veteres regia pariter & ſacerdota- *c. 73.*
lis fuerit, quid mirum, divina providentia ſic diſponente, factum, ut ille, qui eſt Rex Regum & æternus Pontifex, fons lætitiæ aſſertorq; libertatis noſtræ, candida veſte amiciretur? Fuit quidem Herodis animus peſſimus, qui veſte λαμπρᾷ indui Servatorem jubet, vetuſta tamen & lacera, qua rideretur, non ornaretur, ut eſſet affectati ſtultè regni & ſacerdotii exprobratio: Sed hoc veritatis ſignificationem myſticam minime læſit.

Fortaſſis nec de nihilo eſt, quod addit Gerhardus; *Harm. Ev.*
c. X. p. 106. b.

 Quia

Quia morte adjudicatis veſtes atræ ac pullæ dari conſveverunt, color vero albus ſignum abſolutionis fuit, ſicut Poeta canit,

l. V. Metamorph.

Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

XIV. Ant. c. 17. & l. XVI, c. 14.

Joſephus etiam refert, apud Judæos eam viguiſſe conſvetudinem, ut alicujus criminis reus judicio poſtulatus atratum ſe ſiſteret. Ideo Herodes hac veſte candida Chriſto induta ſignificare voluit, fatuitatem hominis honorem regium & Sacerdotalem affectantis magis irridendam & condonandam, quam capitali ſupplicio vindicandam eſſe. Ita namque ipſe Pilatus hunc veſtitum interpretatur apud Lucam c. XXIII, 15.

XXXI.

DIMISSIO REORUM EX VINCULIS.

Pilatus Jeſum absque omni ſupplicio dimiſſurus, conſvetudinem allegat dimittendi reos è vinculis in feſto Paſchatis. Hæc enim ſententia eſt verborum Matt. *XXVII, 15. In Feſto autem conſueverat Præſes unum turbæ dimittere quem voluiſſent.* Sive, ut apud Lucam *XXIII, 17. Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum.* Pro quo Johann. *XVIII, 39. Eſt autem conſvetudo vobis, ut unum dimittam in Paſcha.*

Quod Johanni ſpeciatim eſt Paſcha, aliis generatim ἑορτῇ vocatur. Syrus & Arabs vertunt, *in omni feſto*, Beza; *ſingulis feſtis.* Hebræa N. T. Editio ביום החג *in die feſti.* Facile aſſentior iis, qui ſtatuunt, non per ſingula totius anni feſta vinctum unum dimitti ſolitum, ſed ſolum per recurrens quotannis Paſchatis feſtum. Favent huic ſententiæ verba Pilati Joh. *XVIII, 39.* Favet, quod viri eru-

ri eruditi docent, hoc potius festo quam alio dimissum fuisse captivum, ut educti olim ex captivite Ægyptiaca populi monumentum esset. Nec obstat vox ἑορτῆς. Festum Paschatis enim *κατ' ἐξοχὴν* vocari ἑορτὴν, cum esset initium reliquorum, demonstrant sequentia loca Marc. *XIV*, 2. Luc. *II*, *42*. Joh. *IV*, *45*. At errant, qui ex his colligunt, Christum esse crucifixum prima die azymorum. Nam Pascha à Pilato late sumitur, ut simul comprehendat tum parasceven, quia ad Pascha præparabat, tum non primum modo, sed sex etiam sequentes azymorum dies. Nec ipso die Paschali vacassent Judæi judicio capitali: quod fuisset profanare diem tam religiosum.

Cæterum quæritur, an hic mos dimittendi captivos fuerit profectus à Judæis, an à Romanis? Hugo Grotius, *Veterem hunc morem fuisse*, inquit, *non credo. Nam* *ad h. l.*
Lex Mosis erat χωρὶς οἰκτιρμῶν, *ut ait scriptor ad Hebræos X*, *28.* ὁ νόμος τὸ ἀσύγχνωστον ἔχει, *inquit scriptor Responsionum ad Orthodoxos. Nec cuiquam homini data ignoscendi potestas: non Regi, non Synedrio, non populo universo, &c. Quare credibile est à Romanis hoc esse. Nam in Livii Historia invenimus Lectisternii indicti diebus vinctis demta vincula: Religionem deinde fuisse quibus eam opem Dii tulissent vinciri. Ad hoc exemplum putem ab Augusto hanc gratiam concessam populo Judaico: idque mandatis Procuratorum fuisse comprehensum. Nam alioqui Præsides Romani nullam habebant ignoscendi libertatem, ut leges nos docent.* Grotio suffragatur Cl. Vossius. At à Lectisternii Romani sacris morem *Harm. Ev.*
hunc cepisse, tam mihi non probatur, quam si quis Sce- *l. II, c. 5.*
nopegiorum Festi ceremonias ab iisdem velit petitas. Nam in illis fiebat quodammodo, quod per octo Lectisterniorum Romanorum dies; *Tota urbe patentibus ja-* *Liv. l. V.*

nuis,

nuis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum. At cur non à Græcis, aut Jonibus vicinioribus consvetudinem hanc mutuatos Judæos credamus? Sane in Græcia religionis causa capitis damnatos pœnæ exemtos, vinculisque exsolutos, ex Achille Statio, (*a*) Platone (*b*) & Pausania (*c*) plusquam constat. Fuisse Consvetudinem Judaicam satis patet ex verbis Pilati Joh. *XVIII, 39.* ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ὑμῖν ἀπολύσω. Quæ consvetudo ἀνάγκην imponebat Præsidi Luc. *XXIII, 17.* vel quod progressu temporis vim necessitatis obtinuerat in populo traditiones & consvetudines pertinaciter urgente: vel quia decreto Cæsaris erat confirmata, ut pristinæ libertatis aliquam concederet umbram populo duræ cervicis, quò servitutem minus sentiret. *Sic enim quasdam gratias præstant gentes iis quos sibi subjiciunt, donec confirmetur super eos jugum ipsarum*, ut scite loquitur Origines.

(a) l. VII. de Clitoph. & Leucippe.
(b) in Phædrone.
(c) in Corinth. l. II.

Tract. XXXVI. in Matth.

A Judæis derivatus hic mos ad Christianos veteres, ut die Paschali dimissis captivis carceres reclusis januis paterent, *ac cella illa gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus, aliqua infusione lucis albesceret*, sicut de hoc ipso more loquitur Cassiodorus. Exceptis tamen certis criminibus, ne impunitas esset illecebra peccandi, uti Constitutio Impp. Valentiniani, Valentis & Gratiani in Codice Theodosiano commonstrat: *Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Attamen sacrilegus, in majestates reus, in mortuos veneficus sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione istius muneris separentur.* Ibidem & altera est eorundem

libr. II. Ver. Eph. 40.

Tit. de indulg.

rundem Principum, anno edita ſequenti. *Paſchæ celebritas poſtulat, ut, quoscunque nunc ægra exſpectatio quæſtionis pœnæque formido ſollicitat, abſolvamus. Decretis tamen veterum mos gerendus eſt: ne temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, majeſtatis injuriam, maleficiorum ſcelus, inſidias venenorum, raptusque violentiam, ſinamus evadere.* Venetorum more, ſi quis ex debito ſummam L. florenorum non excedente in carcerem ſit conjectus, die Paſchali liberatur, dimidium debiti exſolvente Magiſtratu, reliquum condonante Creditore, ut refert D. Königius. Imò Prudentius, Poëtarum more ludens, fingit, eo die quoque pœnas ceſſare apud inferos. *In Caſib. Conſc. Catech. p. 565*

Sunt & ſpiritibus ſæpè nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ
Illa nocte, ſacer quâ rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis.

Approbanda verò minimè hæc Judæorum conſvetudo, quia impunitate eorum, qui manifeſtè ſcelerati ſunt, & quos lex ipſa Moſis occidere juſſerat, non ritè celebrabatur legis veneratio. Rectè Theophylactus; *Judæi docentes doctrinas, mandata hominum, plurima juxta ſua capita protulerunt, nec divinis uſi fuerunt legibus: undè & hoc ita ſe habet, inq; conſvetudinem abiit, etiam ABSQUE RATIONE, qualia multa absque legis præcepto.* *in Joh. cap: XIIX.*

XXXII.

SOMNIUM MULIERIS.

Pilato, conſidenti in tribunali, nuntium mittit Conjux, qui ſignificat, Μηδέν σοι ϗ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ· πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ’ ὄναρ δι’ αὐτὸν Matth. *XXVII, 19.* Quandoquidem

dem publicum hoc debebat esse innocentiæ Christì testimonium, nunciatur Pilato, non in secretario, sed postquam inde exisset. Nam distincta erant hæc duo loca, *Secretarium* & *Tribunal*. In Secretario (quod τὸ ἀπόρρητον δικαστήριον vocat Philostratus, & τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων Synodus Africana) disquisitio judicum fiebat. Atque eò vocabatur reus, cum esset examinandus. Sed postquam aliquid de reo decretum, exibatur ad tribunal, unde sententia pronuntiabatur. Ea duo loca distingui velo solebant. Hinc illud *Velo levato* in jure, hoc est, nulla adhibita consultatione. Contra παραπετάσματος μέσου, *velo interposito*, Constitutionibus Clementis Romani.

In vit. Apollon. l. IV, c. 15

libr. II, c. 52.

Innocentiæ Jesu publicum fert testimonium mulier, quando ipsum τὸν δίκαιον vocat, ἐξοχικῶς, sine dubio & δεικτικῶς, *Virum excellenter & summe justum*, imo *ipsam justitiam*. Credibile est, non solum ex publica fama innotuisse ipsi, sed & à DEO patefactam per insomnium Domini innocentiam, forte & mala, quæ Pilatum ex injusta damnatione manebant, ut itaque verba illa in oratione mulieris, *cum justo illo*, αἰτιολογικῶς etiam inserta videantur, quasi præmonere voluerit fœmina maritum, ne se implicari pateretur causæ Servatoris, cùm sit justus. Ideo proxime subjungit, πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ' ὄναρ δι' αὐτόν.

Quæritur I. An fuerit somnium *nocturnum*, an *diurnum*? Posterius inferre videtur vox σήμερον, quæ ab ἡμέρα dicta significat id quod de die accidit. Lyranus nodum sic solvere conatur, *Solent Dominæ non ita mane surgere ac viri*: Alii simplicius, non media nocte, sed sub auroram Pilati conjugem somniis hisce turbatam conjiciunt. Quam sententiam non omnino rejicimus, cum

somnia

ſomnia matutina ἰαματικὰ præ aliis ſæpe fuiſſe Medicorum filii doceant. Nec tamen eam ob retinendum vocis σή-μερον ſignificatum præciſe neceſſariam eſſe judicamus. Fortaſſe enim τὸ σήμερον late ponitur, ſic ut noctem non excludat. Textus Ægyptiacus, teſte Petro Kirſtenio, legit, *hac ipſa nocte*.

II. An fuerit *naturale*, an *immiſſum?* Somnia naturalia vel ſequuntur humorum intemperiem & aeris conſtitutionem, de quibus vide Hippocratem, (*a*) Voſſium, (*b*) Delrionem (*c*) & Pererium. (*d*) Vel præcedentem cogitationem intentam & crebram. Inhærent enim animo ſpecies, & facili motu recurrit mentis agitatio per quietem. Recurrunt, inquam, in ſomnis diurnarum cogitationum imagines, ſicut ex citharæ pulſu reſultat reſonantia tinnientium fidium, quæ auditur ceſſante pulſu. Hinc Attius; *Quæ in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident, quæque agunt vigilantes, agitantque, ea ſi cui in ſomnis accidunt, minus mirum eſt.* Et Claudianus.

(*a*) *libr. de inſomniis.*
(*b*) *libr. III. Theol. Gent. c. 35.*
(*c*) *Comm. in Octav. Senecæ.*
(*d*) *Qv. III. in Geneſin.*

Omnia, quæ ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies.

de Rapt. Prof. l. III.

Potuiſſe ſomnium mulieris hujus naturale eſſe, multis fit veroſimile. Nam petitos eſſe milites ad Dominum capiendum cognovit. Imo non eſt dubium, quin ad Pilatum noctu relatum fuerit, jam captum eſſe, cohorte ad Prætorium redeunte. Nec innocentia Domini ex publica fama potuit non innotuiſſe, tot hominum millibus decantatiſſima. Nos quidem non negamus, potuiſſe diurnam meditationem occaſionem aliquam inſomniis hiſce ſuppeditare; Interim altiorem quandam cauſam illis ſubfuiſſe agnoſcit non ſolum ipſa ſomniatrix, dum

maritum pro tribunali ſedentem, & cauſis dijudicandis occupatum monet, quod ſane vel temerarie, vel levi de cauſa feciſſe prudenti vix ſit veroſimile. Et ſi feciſſet, non tamen id Evangeliſta tanquam obſervatione ſingulari dignum retuliſſet, niſi majus aliquod, & ſuperioris poteſtatis indicium fuiſſet. Sed & ipſe Pilatus non tanquam aniles fabulas negligit, quæ Uxor nunciari curat, ſed ex iis nucleum petitum ſententiæ definitivæ inſerit, quando, *Innocens*, inquit, *ego ſum à ſanguine hujus juſti*. Ut immiſſum credam hoc ſomnium, movent me quoque verba Mulieris hæc, πολλὰ ἔπαθον, quod eſt ſomniorum præcipue immiſſorum. Nam cum pavore immittuntur. Accedit auctoritas Chryſoſtomi, qui pro immiſſo, non naturali habet: Τινός ἕνεκεν οὐκ αὐτὸς ὁρᾷ; ἢ ὅτι ἐκείνη ἀξία ἦν μᾶλλον. ἢ ὅτι εἰ αὐτὸς ἴδεν, οὐκ ἂν ἐπιστεύθη· ἢ ὁμοίως οὐδ᾽ ἂν ἐξεῖπε: Διὰ τοῦτο οἰκονομεῖται τὴν γυναῖκα ἰδεῖν, ὥστε κατάδηλον γίνεσθαι πᾶσι. καὶ οὐχ᾽ ἁπλῶς ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ πάσχει πολλὰ ἵνα καὶ ἀπὸ τῆς συμπαθείας τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα ὀκνηρότερος γένηται ὁ ἀνὴρ περὶ τὸν φόνον. *Cur ipſe* (Pilatus ſomnium) *non vidit? Aut, quia mulier dignior erat; aut, quia ſi Præſes ſomnium hoc ſe vidiſſe dixiſſet, non ita ſibi creditum fuiſſet, aut quia fortaſſe non edixiſſet, ſed ſecum ipſe tenuiſſet. Idcirco ex diſpenſatione mulier vidit, ut omnibus innoteſceret, nec ſolum videt, verum etiam multa patitur, ut maritus uxori condolendo tardior ad cædem redderetur.*

III. An fuerit *à DEO*, an *à Diabolo* immiſſum? Ariſtoteles dubitat, an ſomnia aliqua ſint θεόπεμπτα, vel θεόπεμπτα, eo quod malis etiam ſæpe & minorum gentium hominibus immittantur, non optimis & ſapientiſſimis. At Chriſtianos minime latere poteſt, imo partim nec Ethnicos, DEO, tanquam liberrimo agenti, liberam eſſe

esse circa instrumenta optionem; humilia deligi à DEO ad confundendam mundi superbiam, malis etiam sive corrigendis sive coërcendis somnia à DEO immitti posse. Sunt, quibus placet Diaboli opera effectum hoc somnium, ut mortem Christi impediret, & redemtionem generis humani moraretur. Hos inter recensentur Ignatius, Beda, Bernhardus, Rabanus, Lyranus, & Petr. Damianus. At credibile non est, Dæmonem sibi ipsi repugnasse, ut per fœminam morte Dominum eximeret, cum sacerdotes & populum in rabiem ageret, ut necem éjus urgerent obstinatissime. Divinum fuisse somnium rectè censent Ambrosius, (a) Augustinus, (b) Origenes, Chrysosthomus, Theophylactus & Euthymius, (c) quia ad innocentiam Salvatoris illustrandam conjugi Præsidis immissum est, ut appareret, Christum tot modis innocentem declarari, antequam velut nocens judicaretur. Nec obstat mulieris infidelitas. Sæpe enim DEUM infidelibus ac flagitiosis futura revelasse, exemplis Nebucadnezaris, Balaami & Pharaonis, ut multa alia taceam, satis probatum est. Et fieri potuit, ut fuerit mulier θεοσεβής, quales interdum & aliorum Prætorum Romanorum fuisse ex Historia constat.

(a) *libr. X. in Luc.*
(b) *Serm. CXXI. de Temp.*
(c) *ad h. l.*

De Efficiente, Materia & Fine somnii hujus jam constat. Illa DEUS est, ista Jesus injuste patiens, hic innocentiæ Domini publica declaratio. Ad *Formam* quod attinet, præstat hic ἀπέχειν, quam aliquid vel statuere, vel balbutire. Certe non uno modo somniantibus sese manifestabat DEUS, sed vel immittendo iis novas species, vel illas, quæ jam aliunde impressæ erant phantasiæ, agitando, ordinando, componendo vel dividendo, & novo lumine collustrando. Hinc fiebat, ut dormientes ea,

quæ DEUS ipsis insinuabat, æque firmiter conciperent, ac si vigilantes ea suis oculis fuissent contuiti. Ejusmodi imagines interdum erant *mutæ*, interdum *vocales*, interdum *mixtæ*. *Mutæ*, v. g. in vaccis & spicis Pharaoni; *vocales* v. g. in apparitionibus exhibitis Abimelecho; *mixtæ* v. g. in Macedone apparente Paulo Act. *XVI*. Hoc loco si aliquid dicendum est, existimo, uxori Prætoris non novam speciem immissam, sed eam, quæ jam per famam publicam & antecedentes cogitationes impressa erat arctius, novo lumine divinitus collustratam, objecta fortasse animo Jesu in terris præter meritum patientis, in cœlis vero ad dextram Patris sedentis & mala multa Pilato Judæisque comminantis imagine.

Ceterum, cur DEUS & noctu & dormientibus sæpe φάσματα objicere voluerit, cum communicatio illa videatur tum obscura admodum, tum incerta, & parum conveniens tam dignitati sive revelantis, sive rerum revelatarum; quam utilitati illius, cui revelantur? prolixe tractat Cl. Spanhemius.

Dub. Evang Part. II, Dub. LIX, §. 9. 10.

XXXIII.

POENA FLAGELLATIONIS.

Pilatus Judæorum furori consulturus Dominum *flagellari* præcipit Joh. *XIX*, 1. Sunt qui judicent, factum id esse à Pilato, quia sic mos ferret Romanus, ut qui crucifigendi essent, prius flagellis cæderentur. Expresse Hieronymus; *Legis Romanæ fuit, crucifigendos prius flagellis verberare, ut hac ratione ab honestorum hominum societate quasi separentur.* Ipsi Judæi in obsidione à Tito capti in singulos dies quingenti, nonnunquam etiam plures, flagellati,

lati, & ante mortem præcruciati omne genus verberibus contra murum crucifigebantur, referente Joſepho. Hieronymo aſſentiunt viri eruditi, Druſius, Calixtus & alii. Atque hi ipſi ſtatuunt, bis flagellatum eſſe Chriſtum, primo ante prolatam mortis ſententiam, ut furor Judæorum miſerabili iſthoc ſpectaculo ſedaretur, & deinde poſt dictam mortis ſententiam, ut eſſet crucifixionis anteambulo. At quo minus Viris alioquin doctiſſimis adſtipuler, me movet, quod Johannes aperte docet, poſt Chriſtum flagris cæſum aliquantum temporis interceſſiſſe, antequam cruci addiceretur. In iis vero qui ſupplicii cauſa cædebantur una erat ſententia, cujus hæc erant verba legitima; *Summove lictor, deſpolia, verbera, lege age, animadverte.* Nec neceſſe eſt, tantillo tempore bis flagris cæſum Chriſtum comminiſci. Sane nihil aliud intendiſſe hac flagellatione Pilatum, quam ut rationem inveniret liberandi Dominum, ſi Judæorum crudelitati aliqua ex parte ſatisfeciſſet; docemur ex Luca *c. XXIII, 16. & 22.* Quod vero Matthæus & Marcus poſt promulgatam mortis ſententiam flagellationem deſcribunt, fit per retrogeſſionem: Unde etiam in præterito dicunt φραγελλώσας, *poſtquam flagris cecidiſſet.*

libr. VI. de Bel. Jud. c. 12.

Cæterum quæritur I. An Dominus flagris objiciendus toto corpore denudatus fuerit? Ita ſane in Revelationibus S. Brigittæ legimus; *Ibi alligatus nihil omnino operimenti habebat.* Et alibi: *Deinde jubente lictore ſeipſum veſtibus exſuit, columnam ſponte amplectens recte ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis, non evellendo, ſed ſulcando, totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum ego, quaſi corde percuſſa, ſenſibus abducor: & poſt tempus evigilans corpus ejus laceratum video. Toto enim cor-*

lib. I. c. 10. libr. IV. c. 70.

pore

pore nudus erat, cum flagellaretur. Et hæc fere Doctorum omnium communis sententia est, ut ait Franciscus Svvaretz. Cui facile assentimur, quandoquidem denudationem totalem à Romanorum consvetudine non abire Historia doceat.

ad III. part. Thomæ Tom. II. qv. 46. disp. 39. sect. 4.

II. An Virgis cæsus sit, an vero flagellis? Certe flagellorum supplicium fœdius erat, quam virgarum. Nam liberi virgis, servi flagellis cædebantur. Virgis cæsum esse Dominum putat Maldonatus. At flagellis id factum indicat vox φραγελλώσας apud Matthæum & Marcum. Pœna hæc quam fuerit immanis, æstimare licet ex instrumentorum atrocitate. *Lora taxillata, pecuinis ossibus catenata, & multijugis ovium talis tessellata* vocant Athæneus (a) & Apulejus (b) Plura Ludovicus De-la-Cerda in Adversariis sacris. (c)

(a) l. IV. (b) lib. IIX. (c) c. CVII. §. 27.

III. An certum plagarum numerum acceperit? Judaica flagellatio XL. plagarum numero continebatur, vigore legis *Deut. XXV*, 3. Solebant autem uno minus ictu cædere, sive humanitatis ergo, sive quia poterant ictu uno aberrare, eoque satius esset intra præscriptum modum ferire, quam eum excedere *II. Cor. XI*, 24. At Romana flagellatio certo verberum numero non concludebatur, sed pro delicti qualitate & flagellandi constitutione plagarum numerum augebat modo, modo minuebat. Multos sub flagellis interiisse Ulpianus scribunt & Tholosanus. Brigittæ revelatum dicitur, (a) Christum perpessum esse 5000. ictus ex flagellis. Vincentius scribit, (b) corporis ossa ex Medicorum sententia esse 276. Christum vero ita flagellatum, ut cuilibet corporis ossi triplex verberum ictus responderet. Gerson refert, (c) revelatum fuisse, quod Christus in corpore suo 5375. plagas accepe-

(a) l. c. (b) in Serm. de Paßione. (c) in Hist. Paßion.

acceperit. Landulphus non dubitat ſcribere, (*d*) affectum verberibus 5475. Sed plane hæc fidem excedunt, cum corpus humanum tot nequeat flagra perferre. Nos de re tam incerta certi nihil aſſerere poſſumus, nec vero de ictuum numero adeo ſolliciti ſumus, ut propterea ad revelationes dubias confugiamus. Sufficit ſcire quod Nonnus ſcribit in Joh. (*d*) *de vita Chriſti.*

Pilatus horribili corpus Chriſti rubefecit flagello.

IV. Quo corporis ſitu flagellatus ſit? Judæi proſtratos flagellabant, ſecundum legem *Deut. XXV*, 2. At Romani flagellandos columnæ alligabant. Unde illud Plauti,

- - Abducite hunc
Intro, atq; adſtringite ad columnam fortiter. *Bach. Act. IV. ſc. 7.*

Columnæ fuiſſe alligatum Chriſtum, cum flagellandus eſſet, volunt Nazianzenus, (*a*) Hieronymus, (*b*) Beda, (*c*) Paulinus, (*d*) Gregorius Turonenſis (*e*) & alii. Hieronymus, (*f*) *Oſtendebatur*, inquit, *illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Volunt autem columnam fuiſſe marmoream, non palum ligneum, quâ de re in hiſtoria paſſionali profundum ſilentium. **Es hat der liebe Heyland / der der allerunwärtester war / wol mit einem hölzernen Pfaal müſſen vorlieb nehmen.** Notat Cl. Voſſius, (*g*) Romæ in æde S. Praxedis, martyris Romanæ, quæ ſub Antonino Cæſare paſſa, brevem monſtrari columnam, cui Salvator dicatur fuiſſe alligatus. Quæ ſi genuina foret, totum corpus pene patuerit plagis.

(*a*) *Orat. I. in Julian.*
(*b*) *Epiſt. XXVII. ad Marcel.*
(*c*) *de loc. ſanct. c. III.*
(*d*) *Epiſt. XXXIV.*
(*e*) *de glor. Mart. c. XI.*
(*f*) *in Epitaph. Paulæ.*
(*g*) *loc. cit. §. 19.*

XXXIV.

CHRISTUS EXUTUS AD FLAGELLA.

Καὶ ἐκδύσαντες, *& exuentes eum, Chlamydem coccineam circumdederunt ei*, inquit Matthæus *c. XXVII, 28.* Verbo *exſuendi* miram Servatoris manſvetudinem atque patientiam commendari exiſtimo. De uſu enim veterum carnificum erat, reorum reluctantium veſtes lacerare, ſcindendoque detrahere. Hinc veſtes eorum nonniſi laceras exhibet Hiſtoria. Plutarchus; *Præcepit lictoribus, illius veſtimenta hominis dilacerari manusq́; poſt terga religari, puerisque flagella dari ut & verberarent, & verberatum in urbem ducerent proditorem.* Quintilianus; *Sed ſi fas eſt, judices, dubitare de fide quæſtionum: alius debet eſſe ſuſpectus, ille ſcilicet, in quo ſervilium pectorum receſſus, in quo verniles excutiuntur artus. Quoties tortori eſt rixa cum membris, tum cruciatus agnoſcit aſſiduis ſuppliciis durata patientia: & homini non eſt nova res, dolor corporis appliciti, quod ſciſſa lacerataque veſtis, primum ferre non poteſt pudorem, quod neſcit ad flagellorum vices membra componere, nec ullo verbera frangit occurſu: nos, inquam, ſumus quos leges ſupervacuum putavêre torqueri. Unde nobis inter iſta ſecretum? in tormentis libero homini opus eſt patientiâ, ut verum dicat. Sed, inquit, ideò torqueri non debes, quia exigis ut torquearis: aliud ſunt, inimice, tormenta, aliud velle torqueri: fœlices illos, qui recuſare voluerunt! meretur clementiam & favorem, quisquis ad illa tremens exanimisque perducitur, quem vix à genibus tortor abducit, cui jam, ſciſſas quoque difficile poſſis eripere veſtes.* Habes obſtinati animi & tormentis inhiantis verba, quæ, qualis eſſet aliorum miſerorum geſtus, qui tortorum genibus

in Camillo.

declam. VII.

nibus supplicabundi obvolvebantur tenaciùs, qui scissas etiam vestes, ne penitùs nudarentur, retinebant, non obscurè indicant. Habes etiam liberi hominis in tormentis patientiam, cui nec opus vestes scindere, nec à genibus amovere. Talis Servator, unde nec timidas audis deprecationes, nec à tortoribus scissas vestes legis, sed exutas. Hæc & plura alia Ramiresius, qui legatur. *S.S. Tract. I. c. XLV, n. 2.*

XXXV.

CHLAMYS.

Milites Romanos Salvatorem ad ludibrium induisse *chlamyde* testis est Matthæus, Marcus simpliciter ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν, at Johannes generalius ἱμάτιον, quod Erasmus γενικῶς accipit pro *veste*, Beza specialiter pro *pallio*. Syrus & Arabs collective pro *vestibus*, quocirca pluraliter verterunt. Multum differre chlamydem & pallium constat ex illo Plauti, *Puer cape chlamydem, & da pallium.* Pallium omnium Virorum vestis erat. Chlamys militum proprie. Unde & hic à militibus Christo injicitur. Eratque pallio brevior multò ac strictior. Nec tamen exinde colligi potest, aliud Matthæum dicere, aliud Johannem. Nam ἱμάτιον hic laxe sumitur, ut non tunicam signet, quæ interior, sed chlamydem comprehendat, quæ exterior. Conf. Matth. *XIII, 4.* & 12. Cæterùm *chlamys* Græcorum inprimis erat & maximè Macedonum. Inter puerilia recensetur ab Ulpiano. Chlamyde Numa primus Romanorum regum usus est, quùm legationem Isaurorum excepisset, rationemque eorum habitus percepisset, ut prodit Suidas. Effigies chlamydis & terræ habitabilis eadem fuisse traditur. Strabo; ἔστι δή τι χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης. *lib. II.*

XXXVI.

COCCUM ET PURPURA.

Colorem vestis quod attinet, fuisse *coccineum* refert Matthæus, at *purpureum* vocant Marcus & Johannes. Inter coccum & purpuram multum esse discriminis apparet ex *Exod. XV*, 4. & ex Ulpiano, qui *purpuræ appellatione coccum non contineri* dixit. Differunt Coccum & purpura materia, colore & usu. Coccum è frutice terrestri, purpura è concha marina, quæ annis vivit septenis, latet circà canis ortum tricenis diebus, congregatur verno tempore, mutuoque attritu lentorem quendam veluti ceræ emittit, sed nobilem illum succum ad tingendas vestes in mediis faucibus habet, minimum liquoris est in candida vena, reliquum corporis sterile est. Vivas conantur capere, quia florem illum morientes cum vita evomunt. Majoribus purpuris detractâ conchâ, auferunt succum, minores frangunt Tyrii & ita earum rorem accipiunt, qui à loco *Tyrius* dicitur, quamquã in aliis quoq; locis id fiat, referente Perotto. Color cocci quam purpuræ dilutior erat, qui *in Rosis micat*, teste Plinio. (*a*) Purpura enim *nigredo sanguinea* est, ut inquit Cassiodorus, (*b*) *nigrantis rosæ colore sublucet.* (*c*) Puniceum in purpura cernitur, præsertim Tyria. *Puniceum* autem & *Phœniceum* colorem differre, ex Libanio ostendit Salmasius, atque eam ob causam Agellium reprehendit. Color enim puniceus exuperantiam & splendorem ruboris ostendit, Phœnicius autem, qualis immaturæ palmulæ. Coccinati quidem incedebant præ aliis Imperatores ac belli-duces. Plinius; *Coccum Imperatoriis dicatum paludamentis.* Causa erat, ne si forte in bello cruor vestibus adspergeretur, sive is ex ipsorum,

(*a*) *lib. XXI. c. 8.*
(*b*) *l. 1 var. Epist. 2.*
(*c*) *Plin. l. IX c. 36. ad Solin. p. 1330.*
lib. XXII, c. 2.

ipsorum, sive alieno vulnere manaret, ipsi vel alii terrerentur. Nec aliud fortassè spectârunt milites, qui Christo tàm cruentè illuserunt, cum illum Chlamyde coccineâ indutum produxerunt, nisi ut sanguis undequaque scaturiens in veste coccineâ minus adverteretur; undè & illorum lusus feralis adeò non appareret, & alii ad Christi conspectum nullo misericordiæ sensu tangerentur. Coccinatis licuit tamen & esse plurimis, etiam privatis, ut equitibus Romanis, purpura solis Imperatoribus tunc propria dicata. *Color ille nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum conspicuum facit, & præstat humano generi ne de adspectu Principis possit errari*, ut inquit Cassiodorus. Purpuram ἀρχῆς σύμβολον fuisse & insigne Imperatorum Romanorum à nemine ignoratur. Nam qui imperium sumebant, purpuram quoque sumebant. Sed & *purpuram sumere* subindè idem erat quod imperium sumere. De Balista Trebellius Pollio; *Multi & sumsisse illum purpuram & more Romano imperasse*, (Salmasius legendum existimat, ut Romano more imperaret) *exercitum duxisse, & de se plura promisisse dixerunt.* De Zenobia idem; *Vixit regali pompâ, more magis Persico adorata est: more regum Persarum convivata est. More Romano ad conciones galeata processit cum limbo purpureo.* Color insuper purpureus quoquomodo infanti admotus spem faciebat regiæ fortunæ. De Clodio Albino Julius Capitolinus; *Accessit omen, quod cum pueri ejus familiæ russulis fasciolis illigarentur, quod fortè lotæ atque udæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans paraverat, purpureâ matris illigatus est fasciâ: unde illi joco nutricis etiam Porphyrii nomen inditum est. Hoc atque alia signa imperii futuri fuêre.* Quin etiam institutum posteà est ab Imperatoribus Constanti-

 nopoli-

lib. V. lib. I, c. I. in not. ad Hist. aug.

nopolitanis, ut Augustæ liberos non parerent nisi ἐν πορφύρᾳ, quem morem ex Nicetâ Choniate & Luitphrando aperit Casaubonus. Inde est, quod inter omnia imperii, quibus scatent libri Historici, semper ferè invenis purpureum aliquid. Est autem indumentum purpuræ insigne regiæ dignitatis ob rubicundum colorem, sanguinis imperium & necis inferendæ potestatem insinuantem. Quo sensu fortè Horatius *Tyrannos* appellat *purpureos*,

Purpurei metuunt tyranni
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam.

Et ob hanc majestatem haud dubiè unicus salutis nostræ instaurator Dominus, cùm à profligatis militibus Rex salutaretur, Deo sic disponente, purpureâ veste indutus est. Interim non nego, donari aliquando à regibus jus purpuræ gestandæ solitum amicis bene merentibus. Dan. *V, 29.* Apud Julium Capitolinum Commodus ad Albinum; *Ut tibi insigne aliquod imperialis Majestatis accedat, habebis purpuram.*

Si quæras, quâ ratione Johannes cum Matthæo sit conciliandus? Varii varios comminiscuntur modos. ad h. l. Pricæus vult, ob affinitatem & fere promiscuum usum colorum istorum Evangelistas crassius & communius locutos. At nec colore, nec usu convenire coccum cum purpura jam dictum est. Ursinus existimat, chlamydem militarem purpuram dictam esse, quia ejus vicem sustineret, sicut Alexandrini Caralum quendam in contemtum Regis Agrippæ diademate papyraceo coronasse dicuntur, indutum pro paludamento Storeâ, & pro Sceptro tenentem arundinis fragmentum, apud Philonem. Huc facit, quod Seneca scribit; *Quædam etsi vera non sint,*

Anal. Sacr. l. III, c. 29. §. 3.

In Flaccum. p. 811.

propter

propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt: Sic æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacædemonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstabat. At hæc conciliandi ratio à litera abducit, cui strictissime, quamdiu fieri potest, inhærere tenetur Interpres. Dieu putat aliud dicere Matthæum, aliud Marcum & Johannem. Nimirum penitus denudatum Christum vestibus purpureis interius indutum, & hisce postea circumjectam chlamydem coccineam. Sed cum ἱμάτιον solam sæpe vestem notet exteriorem, seu stolam, ut supra dictum, hactenus nondum satis constat, an totus denudatus sit Dominus, an vero interiori solum tunicæ superinducta sit vestis alia. Hugo Grotius existimat, per πορφύραν Marcū & Johannē eum colorem intelligere, qui purpuram mentiretur. Atq; eodem modo coccinam chlamydem dici Matthæo, quod coccinam referret. *Sed hoc est ridiculum*, inquit Salmasius, *Et miror, quid in mente fuerit huic viro, cum hæc scriberet. Tradit quidem Plinius, Galliam invenisse, coccum & purpuram aliosque colores herbis tingere. Nescio an eo respexerit. Sed herbæ quibus purpura tingitur sic semper aliæ sunt ab iis quibus coccum inficitur. In Syria vera purpura frequens, ut & coccum.* Ipse Salmasius vult, satis visum fuisse Evangelistis ad rei fidem nos doceri, clari coloris vestem ludibrii gratia Christo fuisse injectam. Hanc alios coccineam, alios purpuream dixisse, quia duo isti colores in vestibus tunc eximii. Cui sententiæ, ut simplicissimæ, nos assentimur.

libr. V. de Benef. c. 13. & 14.

Cæterum ludibriose hac veste Dominum indutum ex antecedentibus & consequentibus apparet. Convocatur enim universa militum cohors tanquam ad ludicrum

crum ſpectaculum. Simile quid Vopiſcus de Proculo; *Cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies Imperator exiiſſet, quidam non ignobilis ſcurra, Ave inquit Auguſte,* (quod heic ſeq. verſ. eſt χαῖρε ὁ βασιλεὺς) *allataque lana purpurea, humeris ejus injecit, eumque adoravit,* quod hic γονυπετήσαντες. Nec tamen caret hoc veſtimentum purpureum ſuo myſterio. Indicat, Chriſtum eſſe non ſolum Regem regum, & Dominum Dominantium, ſed etiam Torcularium, qui hoſtes ſuos prælo iræ divinæ ſubjectos ſit conculcaturus, veſtesque ſuas eorum adſperſurus ſanguine, ut fit, cum, juxta Nemeſianum,

Collibus in ſummis crebro pede rumpitur uva,
Ecclog. III. *Udaq; purpureo ſparguntur pectora muſto.*

Vid. Eſ. *LXIII, 3.*

XXXVII.

CHRISTUS CORONATUS.

Ludibrii cauſa Servatori coronam imponunt ſpineam milites; coronam ut regi; ſpineam, ut miſerabili regi. Coronatas victimas priſcos immolaſſe diis, quis eſt qui neſciat? Svidas; Εἰσάγεται ὁ Ἀθάμας ἐστεφανωμένος, Georg. III. ὥσπερ ἱερεῖον σφαγιασθησόμενος. Virgilius;

Sæpè in honore Deûm medio ſtans hoſtia ad aram
Lanea dum niveâ circumdatur infula vittâ

Aen. X. Servius; *infulæ faſciæ ſunt in modum diadematum, à quibus* lib III. Antiq. c. 8. *dependent vittæ ab utrâq; parte.* Sacerdotes etiam oblaturos ſacrificium capita ornaſſe, teſtatur Joſephus. Quin lib VII. ipſa Deorum ſimulacra coronari apud gentiles moris erat. de coron. Arnobius; *Etiamne Dii ſertis, coronis afficiuntur & floribus?* mil. c. VII. Tertullianus; *Saturnum Pherecydem ante omnes refert*

coronatum, Jovem Diodorus post devictos Titanas, dat & Priapotænias idem & Ariadnæ sertum. Plinius scribit, antiquitùs neminem nisi Deos coronis ornari solitum, *Corona Deorum honos erant, & larium publicorum privatorumq;.* Artemidorus; Στεφανοῦν θεοὺς ἄνθεσι καὶ κλάδοις τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις, σημαίνει ἀγαθὸν πᾶσιν οὐκ ἄνευ μέν τοι φροντίδων ἀποβησόμενον. Quid ergò miramur coronari hic Deum, Dei in carne nostra victimam? *lib. XVI, c. 4.* *lib. XXI, c. 2.* *lib. II. oneiroc. c. 34*

Coronatum bis nonnulli existimant Dominum, prius quidem corona spineâ, deinde coronâ ex rubo. Gvilielmus Episcopus Tornacensis ostendere conatur, Aquisgrani alteram esse, alteram Parisiis. Videatur etiam Molanus. Sed quia unius solùm coronæ meminerunt Evangelistæ, alteram illam pro figmento haut immeritò habemus Papistico. *lib. de vell. aur. fol. 88.* *lib. IV. de sacr. imag. c. 7.*

XXXVIII.

CORONA SPINEA.

Crudele plane ludibrium, caput consertum spinis. στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, *coronam è spinis contextam* vocat Matthæus *c. XXVII, 29.* & Johannes *c. XIX, 2.* At στέφανον ἀκάνθινον Marcus *c. XV, 17.* & Johannes *c. XIX, 5.* *coronam spineam.* Maledictio in spinis cœpit Gen. *III, 18.* in spinis desiit. Ecce Lilium in medio spinarum Cant. *II, 2.* At quantæ erat immisericordiæ, quod pro corona aurea gemmis distincta capiti arctius imprimunt spineam, quæ non solum ignominiæ foret, sed etiam pungendo adferret dolorem! *Certe præter figuram contumeliæ,* inquit Tertullianus, *in promtu est & turpitudo & dedecoratio & his implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt.* *libr. de coron. milit.*

CXIV.

Sunt qui ex *junco marino*, quem Græci ὀξύσχοινον vocant, contextam volunt hanc coronam, in quibus est Autor Historiæ Scholasticæ & Lyranus. Sed clare apud Evangelistas est ἀκανθῶν, quo nomine à nullo scriptore ὀξύσχοινος intelligitur. *Nulla est junci species*, inquit Casaubonus, *in cujus descriptione vel Theophrastus, vel Plinius, vel alii probati scriptores spinas commemorent: Thyrsum autem illum, & acumen in quod desinunt nonnullæ juncorum species, insulse spinas vocaveris.* Clemens Alexandrinus putat factum fuisse ἀπὸ βάτου, *è rubo*, & rubum illum confert cum eo, in quo DEUS apparuit Mosi, mysterium aliquod in utriusque comparatione observans. Marcellus Empiricus coronam illam fuisse dicit *è spina alba*, quam & inde salutarem existimat & medicinis utilem. *Herba*, inquit, *salutaris*, *i, e, spina alba*, *quâ Christus coronatus est, quæ velut uvam habet, lienem leniter in eodem loco perfricata sanabit.* Sit fides penes auctorem. Ἄκανθα propriè notat *aculeum* seu *spinam rubi* vel *vepris*. Dioscorides; Ἔστι δὲ ἤδε ἡ βάτος ἁπαλωτέρα πολλῷ τῆς ἀυτῆς, ἀκάνθας μικρὰς ἔχουσα. Quo sensu ait Plinius; *Tenuius est hoc Rubi genus, quam cætera, minoribusq; spinis & minus aduncis.* Synecdochice notat ipsum *rubum*, seu *spinum*, Matth. *VII*, *16*. Nec aliter hoc loco. Corona ἐξ ἀκανθῶν, h, e, *ex fruticibus spineis*, von Dornreisern zusammen geflochten. Cum autem ruborum multæ sint species, inanis ac inutilis labor fuerit velle quærere, quæ potissimum species ad hanc coronam sit adhibita. Utiliora longè, quæ affert Athanasius; *Alia ratione spineam coronam gestare videri potest*, (Dominus) *nimirum, ut sollicitudines vitæ nostræ exstirparet. Injecit enim scelestus ille, quamquam nolens, sollicitudines nostras super Dominum, non animadvertens futurum*

Exerc. XVI. ad Baron: c. 73.

c. VIII. Pæd. l. 2.

c. XXIII.

libr. XVI. c. 37.

lib. de pass. & cruc. dom.

rum esse, ut earum gestatione Dominus omnes in securitatem adsereret, quò & semen verbi de spinis depurgatum haberent.

XXXIX.

JUDA SINE SCEPTRO.

Judæis necem Christi obstinatissime urgentibus, Pilatus indignabundus plane regerit, se quidem nullam reperire culpam in Christo morte dignam, sed si crucem meruisse videretur, ipsi crucifigerent. Ad ista Judæi, *non licere sibi quemquam occidere* Joh. *XVIII*. Hinc orta inter eruditos disquisitio. An Judæi habuerint tum temporis jus capitale, an non? Baronius affirmativam tenet, eamque probare nititur testimonio, exemplo & auctoritate. *Ann. XXIV, n. 76.* Testimonium citat ex Marc. X*IV*, *64*. ubi Christus de communi sententia Concilii declaratus dicitur ἔνοχος θανάτου. Exemplum addit Jacobi ex Act. *XII.* & auctores laudat Augustinum, Cyrillum, Chrysostomum. Quod testimonium Marci attinet, distinguere debuisset Baronius inter causæ cognitionem & exsecutionem. Uti apud Romanos alia erat ratio cognitorum, alia prætoris; Illi, quibus sola causæ inquisitio erat demandata, statuere poterant reus aliquis esset an non: ultimam vero sententiam pronunciandi jus penes solum Prætorem erat. Sic hoc relictum erat Judæis, ut ei manus ac vincula injicerent, qui deliquisse contra legem dicebatur: ad hæc ut cognoscerent caussas juxta legem divinam & inde judicium ferrent; at pronuntiandi sententiam cum effectu jus non habuerunt, sed in potestate erat Præsidis Romani, ut vel Judæorum judicium sequeretur, vel mitiori pœna afficeret, vel etiam prorsus absolveret reum. Quod Exem-

plum Jacobi Apoſtoli ab Herode interemti concernit, diſtinguenda fuerant & tempora & ſubjecta. Quæſtio hic eſt non de temporibus, quibus Judæa per Reges, vel eos, qui ex conceſſione gratioſa regiam obtinuere dignitatem; ſed quibus, ut Provincia, per Præſides gubernata eſt. Deinde, male comparatur Concilium Judaicum cum Herode Agrippa. Nam & Rex fuit Agrippa, & Templi præfecturam à Rom. Imp. Claudio ſibi commiſſam habuit: Itaque Pontifices pro ſuo jure deſtituebat aut inſtituebat, omnia ex libidine adminiſtrabat, denique in iis, quæ ad Religionem ſpectabant, Regem agebat. Quod allegatos à Baronio Auctores attinet, ab auctoritate ſola in affirmativis nihili ducitur argumentum. Nec Chryſoſtomus, etiamſi alias, cur Dominus ad Pilatum ductus fuerit affert rationes, Judæos jus capitalis ſupplicii exigendi habuiſſe integrum, affirmat. Contrarium potius expreſſe ſtatuit his verbis; Τίνος ἕνεκεν αὐτὸν οὐκ ἀνεῖλον, ἀλλ' ἐπὶ τὸν Πίλατον ἤγαγον; μάλιστα μὲν τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν καὶ τῆς ἐξουσίας ὑπετέτμητο λοιπὸν, ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων. *Quare Judæi Chriſtum non occiderunt, ſed ad Pilatum adduxerunt? præcipua cauſa erat, quod parte maxima dominationis ſuæ fuerant privati, quum eſſet eorum Reſp. in Romanorum poteſtate.* Hactenus ergo Baronius non probavit, quod probare & debebat, & nitebatur.

Chryſoſthomus, *a*) Auguſtinus (*b*) & Gloſſa (*c*) Ordinaria diſtingvunt inter tempora, putantque non licuiſſe Judæis interficere ob vicinitatem Feſti paſchalis, quem alio tempore licebat interficere ſecundum legem. Alii diſtinguunt inter crimina, inprimis Cl. Voſſius, (*d*) cujus verba hæc ſunt; *Dicendum, ademtum fuiſſe Judæis jus capitalis ſupplicii: ſed ſolum in iis, quæ ad crimen læſæ Majeſtatis*

(*a*) *homil. LXXXV. in Matth.*
(*b*) *Tract. CXIV. in Joh.*
(*c*) *in h. l.*
(*d*) *Harm. Evang. l. II, c. V. §. 32.*

jestatis, aliterve ad Remp. & Imperium pertinerent: in quibus ne cognitionis quidem, nedum exsecutionis jus fuit. At permissu Præsidis licuit iis decernere de delictis ad legem suam pertinentibus: imo in talibus non leviores modo pœnas sumere concessum fuit, sed etiam capitales. Sic igitur statuimus, potuisse cognoscere de Christo, ut blasphemo, non potuisse, ut majestatis reo. Atqui accusatio Christi duplex fuit. Prior erat blasphemia, secundum legem Judaicam, Lev. XXIV, 14. *juxta quam lapidandus fuisset. Hinc dignus morte à Judæis judicatus*, Matth. XXVI, 65. 66. Marc. XIV, 64. *Altera est læsæ Majestatis, secundum leges Romanas. His enim seditiosi affigebantur cruci, vel bestiis objiciebantur: ut etiam Paulus ait in Digestis. Volebant autem Judæi, Christum damnari etiam læsæ majestatis, quia se Regem fecisset, non vero solum ut blasphemiæ reum, quia se Filium DEI dixisset. Nempe ita majori erat auctoritate damnandus: nec habiturus fautores.* Alii distinguunt inter pœnas, voluntque Judæorum responsum, *sibi non licere interficere quenquam*, non de quovis supplicii genere, sed de contumeliosa duntaxat crucis morte agere. Quod mihi minime probatur. Si enim lapidatione, aut gladio in Christum advertere propria auctoritate potuissent, nequaquam tam solicite & tam dubio eventu Pilatum interpellassent.

Simplicissima sententia est, Judæis, postquam in provinciam redacta erat Judæa, omnem vitæ necisve potestatem ademtam. R. Moses de Kotsi (*a*) inquit; *Quadraginta annis ante destructionem templi secundi migravit Synedrion è loco, quia multiplicati fuerunt sicarii, & abolita judicia animarum ex Israel.* Quod approbat Scaliger ὁ πάνυ, (*b*) *Quadraginta annis ante Templi excidium plus minus abolita fuerunt judicia animarum*, id est, *capitalia*: Ipsi certe Judæi

(*a*) *libr. Præc.* CLXXXIIX.

(*b*) *Animadvers. in Eufeb. fol.* 182.

Judæi eadem qua cæteri lege provinciales fuerunt, qui judicia capitalia non exercuerunt. Exigua ſane provincialibus poteſtas relinquebatur. Judices & omnia miniſteria Romana erant. Judicia capitis ad Præſidem omnia pertinebant, cum multo minora ſine Præſide non poſſent

l. VII. Polit. c. 21. tranſigi, ut adoptio, filii emancipatio, manumiſſio ſervi. De quibus omnibus prolixius Adamus Contzen.

At obſtare videntur huic ſententiæ inprimis duo, ipſa Pilati conceſſio, κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν Joh. *XVIII*, 31. & exemplum Stephani à Judæis lapidati. Verum Pilati dictum inſultatorium eſt & ironicum, quaſi d. *Si vos habetis legem, quæ absque prævia cauſæ cognitione capitale ſupplicium alicui irrogandum ſtatuit, ſufficiat etiam veſtra ſententia. Si me indignum judicatis, cui rationes ſententiæ veſtræ damnatoriæ exponatis, etiam vos indignos judico, quorum immanitati miniſtrum me præbeam. Si non debeo eſſe judex cauſæ, nolo etiam eſſe exſecutor ſententiæ, &c.* Neque ſegniter illapſum eſt auribus Judæorum Præſidis reſponſum, ſed mordaci dicto tacti regerunt; *Tu ſcis nobis ademtum eſſe jus gladii, tuum igitur eſt, non noſtrum, qui habes, in eum animadvertere.* Stephani lapidatio furore ſubito facta eſt & populari, non autem legitimæ poteſtatis acceſſu. Actor. *VII*, 54. 57. Ananum, quod in ejusmodi furibun-

l. XX. Antiq. Jud. c. 8. di populi ſcelera conniveret, Pontificia dignitate exſutum, memorat Joſephus.

XL.
VANUS PILATI METUS.

Judæis crucifixionem Christi obſtinatiſſimè urgentibus reſponderat Pilatus, nihil ſe morte dignum in ipſo

reperire. Jubent illi distinguere leges inter Romanas & Judaicas. Ajunt, se legem habere, secundum quam mori debeat, quia filium Dei se dixerat. Tunc verò sibi metuens Pilatus, Prætorium ingreditur, Jesumque rogat, qui genus, undo domo? Expendens hæc Simon de Cassia, eruditus, pro temporis illius conditione, auctor *Idololatra*, inquit, *erat Pilatus & forte ipsum credidit quandam cælicolam creaturam, aut unum de numero Deorum effigiatum in hominem, sicut ipse Romanorum errore delusus, Deos colendo credebat, aut quendam insignem virum ex antiquis inter numina raptum: prout Romulum credidit hactenus populus Romanorum, nunc verò, nescio qua de causa, in istis inferioribus devolutum.* Tetigisse rem videtur, sed non acu. Credebant Ethnici, Deos suos fœminis humanis, virosque commisceri deabus. Hinc innumeræ de Semideis & Heroibus fabulæ. Hinc Hercules & Bachus à Jove ex Alcumenâ & Semele constupratis; hinc Aeneas ab Anchise Venerem polluente, & Achilles à Peleo deflorante Thetidem; Hinc Alexander Magnus Jovis Hamonii filus creditus, quia, qui Olympiam matrem passim constuprabat nobilis adulter, Jovem se mentiebatur. Ipsi Romani Romulum suum à Marte & puella Latina genitum celebrabant; quin & Augustum, qui propiùs Pilati attingebat tempora, Romanæ matronæ & Apollinis filium æstimabant. Ita enim Svetonius; *In Asclepiadis Mendetis Theologumenon libris lego, Atiam, cum ad solenne Apollinis sacrum mediâ nocte venisset, positâ in templo lecticâ, dum cœteræ matronæ dormirent, obdormiisse: Draconem repente irrepsisse ad eam, pauloque post egressum: illam expergefactam, quasi à concubitu mariti, purificasse se: & statim in corpore ejus extitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse unquàm eximi, adeò ut mox publicis*

lib. XIII, c. 8.

cap. XCIV.

cis balneis perpetuò abstinuerit: Augustum natum mense deci-
c. LXX. *mo, & ob hoc Apollinis filium existimatum.* Imò & ipse sic credi voluit, Hinc & pro Apolline ornari & Apollo vocari ambiit. Simulacrum etiam ipsi factum est cum Apollinis adjunctis insignibus. Extant numismata argentea Augusti, in quorum parte aversa Apollo sedens. Adscriptum hinc inde, CÆSAR. DIVI. F. ut ambiguum sit divini Julii, an Apollinis, qui medius est inter verba, se filium dicat. Crediderim Magum aliquem fuisse Atiæ constupratorem. Hinc, quænam fuerit in Pilato concepti timoris causa, satis liquet. Nimirum virum, de quo tot jam audierat mirabilia, cum modò Dei filium dictum audit, à Deo forte, Hebrææ se commiscente puellæ, ortum, ethnicus homo, nugis his credendis adsvetus, suspicatur.

XLI.

GABBATHA.

Mos erat Romanorum præsidum non pronuntiare nisi pro tribunali, qui locus & *jus* dicitur. *Judicium de nocente sic fiebat, ut prætor tribunal inprimis adscenderet, noxio post terga ligarentur manus, misso præconio silentium fieret, legitima deinde prætoris proferrentur verba, classicum ad spectaculum postea canerent, suppliciumque de noxio sumerent,*
l. III. genial. dier. c. 5. inquit Alexander ab Alexandro. Pilatus ergo sententiam dicturus pro tribunali considet in *Gabbatha.* Originem voci assignaturi nonnulli derivant à גבוה, *altum esse*; alii ab inusitato גבב, Unde גב cum patach, quod cujuscunque rei *superficiem eminentiorem* proprie designat, & גב cum kamets, quod *fornicem* seu *excelsum* significat.
l. VI. de bell. Jud. c. 9. Γαβὰ Josepho exponitur βουνὸς, *collis.* Arabs & Æthyops

vocem

vocem *Gabbatha* retinent. At Syrus & Persa habent גפיפתא, pro ב substituentes פ, quod περίβολον exponit Beza, & Latine *septum.* Gvido Fabricius; *Gaphipbta significat peribolum vel circumpavimentum, quod à Vitruvio dicitur Lorica.* Nimirum, quia ædificiorum tecta in Palæstina plana fuere, peribolo, ne quis forte decideret, cingi necesse erat. Hinc Syri mens videt[illegible]esse, locum, in quo Pilatus Christum judicaturus considebat, munimento quodam, sicut tecta ædificiorum, circumseptum fuisse. Eadem ratione colligitur ex גבתא, locum fuisse cæteris sublimiorem. Λιθόστρωτον nominat Johannes, quod Vulgatus in Versione sua retinet, melius sane ac Castellio, qui novo vocabulo *Lapidipavium* interpretatus, quod vel ideo probari non potest, quia pavimenta & lithostrota plurimum differentiæ habuerunt. Illa enim paviendo, hæc sternendo fiebant. Illa picturas varias repræsentabant, hæc non item. Nonnus, λιθόστρωτος χῶρος, λίθοις στρωτοῖσι πτυγμένος, qui fuit *variis lapidibus* quasi *stratis distinctus.* Pari de causa Forum Constantinopoli dictum πλακωτὸν, quia nimirum, ut Zonaras Constantino loquitur, κατέστρωτο λιθίναις πλαξὶ. Severus ad Esaiam, τὸ λιθόστρωτον, inquit, πλατεῖα πάντως ὅδι. Hesychius autem πλατεῖαν interpretatur κόσμον. Audiamus, quæ de Lithostrotis habet Plinius; *Pavimenta originem apud Græcos habent, elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere eam.* Et Prosper; *Apud Africam Carthagini Cœlesti ferebant esse Templum, nimis amplum; omnium Deorum suorum ædibus vallatum. Cujus platea lithostrota, pavimento ac pretiosis columnis & mœnibus decorata, prope in duobus fere millibus passuum protendebatur. Lithostrota* loca saxis discoloribus artificiosè strata Salmasius nos docet in Plinianis. De Julio

libr. XXXVI. H. N. c. 25.
de prædict. part. III.

Cæsare Svetonius; *In expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse multi prodiderunt.* Sectilia, inquit Salmasius, latinè vocat τὰ λιθόστρωτα & distinguit à tessellatis. Lithostrota sectis parvulis marmorum crustis structa erant ex diversi generis & coloris marmoribus, non tinctis, tessellata ex parvis tessellis, h, e, calculis quadratis in varios colores tinctis. Lithostrota in pavimento ac solo mansêre, tessellata ad cameras translata & musivi operis nomine appellata sunt. Syrus *h. l.* vertit, *pavimentum saxorum*; Arabs & Persa, *congeriem lapidum, aggerem lapideum.* Aethyops cum Vulgato vocem Græcam retinet, licet ille corruptam, *Lithostoros.* Et tralatitium est, loca tam publica ac forensia, quàm privata à coloribus, columnis, aut signo aliquo laquearibus affixo, & id genus cœteris denominari. Fuit ergò, ubi pro Tribunali consedit Pilatus, altus, peribolo munitus, variisque lapillis incrustatus locus, Græcis, nomine proprio, λιθόστρωτος dictus.

De situ loci conjecturæ variæ. Suspicatur Beza, fuisse eundem, de quo Nehemias *c. III, 7.* ubi postea exstructa fuerat Antonia. Fidentiùs loquitur Adrichomius; *Locus erat ante domum Pilati editus, & judicio accomodatus, ubi Romani Præsides sententiam ferre solebant, qui græcè Lithostrotos.* Seldenus conjicit, fuisse conclave illud saxeum, לשכת הגזית dictum, cujus pars altera in area sacra, altera in profana. Josephus, ὁ Πιλᾶτος, inquit, καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ σαδίῳ. Josephi vestigia cum plurimis legit H. Grotius; *Non erat tribunal Pilati intra Prætorium, sed in stadio, quod erat non longè à prætorio.* In hanc sententiam me quoque propendere, jam suprà monui.

in not. ad Joh. XIX.
in descript. Hieros. p. 115.
libr. II. de Synedr. vet. Hebr.
libr. II. de bell. Jud. c. 8.
ad Matth. XXVII, 27.

LII. Lo-

XLII.

LOTIO MANUUM.

Pilatus ſententiam dicturus malluvium ſibi adferri jubet, *manus lavat*, populumque inſpectantem his verbis affatur; *Innocens ego ſum à ſanguine hujus: vos videritis.* Munditie manuum, velut ſymbolo, voluit teſtari animi innocentiam. Nimirum is mos erat Veterum, ut animi ſenſa non verbis ſolis, ſed factis quoque declararent. Ita Agabus prædicere volens vincula Pauli manus & pedes ſibimet ipſi vincit Act. *XXI*, 11. Tarquinius primores Gabiorum tollendos filio ſignificaturus, ſumma papaverum capita baculo decutit, apud Livium. *libr. I.*

Conſvetudo hæc, ut Judices & alii lavarent manus, fuit Judaica, ut præter Deut. *XXI*, 6. Pſ. *XXVI*, 6. ex Joſepho conſtat. (*a*) Ariſteas meminit, LXX. Interpretes quotidie, antequam ſe ad translationis operam accingerent, manus abluiſſe, ut ita teſtatum facerent, puros ſe eſſe, nec ullius ſibi criminis conſcios. Ex libris Magiſtrorum conſtat, ſolita defunctorum cadavera à pollinctoribus calida lavari, vel ad acquirendam, vel ad teſtandam innocentiam, quando actæ vitæ ratio eſt reddenda. Hodienum mos vetus Judæis manet à funere venientibus manus lavandi, quo teſtantur ſe cauſam morti non præbuiſſe, & omnia miniſtraſſe neceſſaria. Sed & aliis gentibus hæc conſvetudo nota fuit, quia puritatem aquæ elemento deſignare admodum naturale eſt, ut, ſivè judices in aliquem necis ſententiam tuliſſent, ſivè privati homicidium involuntariè, adeoque impunè commiſiſſent, antequam ad commune aliorum conſortium convictumque accede-

(*a*) libr XII Orig. c. 2.

rent, vel rem divinam agerent, aquâ manus perluerent.

in Herc. fur. Alludit ad hunc morem Seneca;

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persicâ
Violentus undâ Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve, Ibera turpidus, Gaza fluens
Abluere dextram poterit?

Marius apud Plutarchum Diis vota facit νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν *lotis, sublatisve in Cælum manibus.* Scholiastes Sophoclis exponens hunc versum in Ajace, ἀλλ᾽ εἶμι πρός τε λουτρὰ, καὶ παρακτίους λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ᾽ ἁγνίσας ἐμὰ, μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύσωμαι θεᾶς. *Sed ad lavacra abeo & littoralia prata, ut inquinamenta expiem mea, iram gravem Minervæ effugiam*, hæc addit; Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας, εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. Virgilius.

II. Aen.

Me bello ex tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero - - - -

Apud Demosthenem, qui scelere aliquo erant contaminati, dicuntur χερνίβων εἴργεσθαι. Porphyrius cum mel καθαρτικὴν δύναμιν habere dixisset, addit, ὅταν μὲν οὖν τοῖς τὰ Λεοντικὰ μυουμένοις εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ᾽ ὕδατος (μέλι) νίψασθαι ἐγχέουσιν, ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ, καὶ βλαπτικοῦ, καὶ μυσαροῦ καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν. Quin universim rem divinam facturi priùs abluebant manus. Hinc Plautus;

Aulul. act. 3. sc. 6.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem

Et alibi;

act. 5. sc. 1.

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.

in lib. II. serm. sat. 3.

Nec manus tantùm lavabant, sed etiàm pedes. Vetus Horatii Interpres; *Solebant Deos precaturi manus & pedes abluere.* Id vero inter Judæorum & τὴν τῶν ἔξω χειρολουσίαν discriminis

ſcriminis erat, quod hi poſt admiſſum crimen lavabant manus, ad expiationem delicti & profeſſionem melioris vitæ; illi vero ante crimen, ad teſtificationem innocentiæ. A Judæis ad Chriſtianos hic mos devolutus. Hinc in veteri Eccleſia ante templum canthari & luteres fuere, vel etiam fontes, ut aqua manus abluerent; quo precantes in templo, puris id facerent manibus. Huc ſpectant illa Chryſoſtomi; καθάπερ γὰρ κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων *Serm XV. de*
οἴκων νενόμισται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ Θεῷ πρότερον ἀπονιψά- *verbis Apoſt.*
μενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν· οὕτω καὶ τοὺς *Habentes*
πένητας ἀντὶ πηγῶν καὶ κρηνῶν ἔθησαν οἱ πατέρες πρὸ τῶν θυρῶν, ἵν' *autem eun-*
ὥσπερ ὕδατι τὰς χεῖρας ἀπονίπτομεν, οὕτω φιλανθρωπίᾳ τὴν ψυχὴν *dem Spiri-*
ἀποσμήχοντες πρότερον, οὕτως εὐχώμεθα. *Sicuti enim mos eſt,* *tum.*
ut fontes ſint in atriis templorum, quo, precaturi DEUM prius manus laverint, quam eas ad DEUM attollant: ita etiam pauperes, fontium vice, majores noſtri collocarunt ante fores templi, ut quemadmodum manus abluimus aqua, ſic etiam, per beneficentiam abſterſa anima, tum demum oremus DEUM. Et *c. II. de*
verò non manus ſolùm lavabant preces fuituri, ſed totum *orat.*
quandoque corpus, quod notavit Tertullianus; *Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitiosè curant ad omnem orationem etiam cum* LAVACRO TOTIUS CORPORIS *aquam ſumentes.*

Pilatus, ſi in animo habuit χειρονιψίᾳ hac ſuam ipſius comprobare innocentiam, næ graviter erravit. Recte Leo; *Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec aſperſis* *Serm. VIII.*
aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente commit- *de paßion.*
titur. Et Ambroſius; *Laverit licet manus Pilatus, tamen* *Serm. XLIV.*
ſua facta non diluit. Quamvis abſtergere ſe putaverit juſti ſanguinem de ſuis membris, eodem tamen ſanguine mens ejus tenetur infecta. Quo ſpectat illud Poëtæ,

CXXVI.

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Exigua tolli posse putatis aqua!

At si Pilatus hac manuum lotione Domini innocentiam testatam reddere voluit, non equidem erravit, nec tamen conscientiæ suæ satis sic consuluit, quia non sufficit professio, sed insuper requiritur absolutio. Tantùm!

XLIII.

SENTENTIA DAMNATORIA.

Disquirunt Eruditi, An ipsius Pilati voce, an verò ipso solum permittente damnatus sit Servator mundi? *Apol. c. XXI.* Tertullianus oblatum Pontio Pilato Dominum Judæos violentiâ suffragiorum in crucem dedi sibi extorsisse asserit. *lib. IV. de ver. sap. c. 8.* Lactantius Pilatum absolvit, quando, *Tum Pontius,* inquit, *& Judæorum clamoribus, & Herodis Tetrarchæ instigatione metuentis ne regno pelleretur, victus est. Nec tamen ipse sententiam protulit, sed tradidit eum Judæis, ut ipsi de illo secundùm legem suam judicarent.* Sed næ! valdè hallucinatur. Historia enim Evangelica dicit, sedisse pro tribunali Pilatum, quod utique judicii causâ fecit. Et Lucas disertè ait, ἐπέκρινε *c. XXIII, 24.* h, e, Interprr. Arabe & Æthyope, *judicavit,* quamvis Syrus & Persa vertant, *jussit.* Quo docemur, Pilatum expressâ voce Christum condemnasse. Et eò sanè omnes Judæorum tendebant clamores, ut ipse eum damnaret Pilatus. Titulum etiam ipse scripsit, sive scribi præcepit. Per ipsius milites, non per Judæos, supplicium de Salvatore sumtum. Ab ipso corpus postulatum, non à Judæis. Huc pertinent illa *lib. XV. annal.* Taciti; *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Ipse

quoq;

quoq; hujus injustitiæ graves à Deo pœnas luit. Nam, si Josepho credimus, falsis Judæorum criminationibus apud Imperatorem circumventus, Viennam, in exilium, missus est. lib. XVIII. ant. Jud. c. 7.

XLIV.
JESUS SUB CRUCE.

Passionis lignum bajulasse Christum, notat Johannes *c. XIX, 17.* verbo singulariter emphatico βαστάζων, quod de gravissimi oneris portatione usurpari solet, Gal. *VI, 5.* Ex quo nonnulli colligunt, lignum Salvatori impositum ponderosum fuisse, ingenti cum molestia portandum. *Ignominia erat gravißima*, inquit Gerhardus, *crucem suam videre, amplecti ac portare, sed non minor erat pœna ac dolor, per plateas civitatis silicibus stratas longum illud ac ponderosum lignum portare, quando enim posterior crucis pars per lapidosa & aspera loca tracta subsiliit vel concussa fuit, pars anterior cutem scapularum per flagella ac plagas sauciatarum arrosit, vel etiam spineæ coronæ incumbens & aculeos fortius capiti infigens, dolorem ipsius renovavit.* Harm. Paß. c. XII. §. 5. Cæterum, bajulandi propriæ crucis morem Judaicum qui volunt esse, errant. Moses sane Ben Majmon, mores in sumendis suppliciis observari solitos accurate describens, nullam ejus mentionem injicit. De Romanis autem non unum exstat testimonium. Plutarchus, (a) τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὑτοῦ σταυρόν. Artemidorus, (b) ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι, πρότερον σταυρὸν βαστάζει. Arnobius, (c) *Servum pessime meritum per circi aream mediam traduxisse cæsum virgis, & ex more multasse post patibuli pœna.* Plautus, (d) *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.* Hinc *furciferorum & patibulatorum* appellatio apud eundem. (e)

(a) de tard. Num. vind.
(b) l. II. ὀνειροκρ. 61.
(c) libr. VII.
(d) in Carbon.
(e) in Mostell.

Ita

CXXVIII.

Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimuli, si huc reveniat Senex.

l.c. Ubi *patibulatus* est, inquit Cl. Vossius, qui patibulum gestaret, hoc est, furcam, seu stipitem erectum, in summo habentem ramos bifidos, quibus cervices inserebat furcifer, manibus deinde ad eam deligabatur. Is sic procedens à carnifice, vel conservis, ut acceleraret gressum, usque dum deventum esset ad supplicii locum, stimulis pungebatur, vel virgis cædebatur. Conf. Lipsius (*a*)

(*a*) *l. II. de Cruce, c. 5.*
(*b*) *lib. advers. Judæos c. X.*

Tertullianus imaginem Isaaci ad Christum trahit, quando, *cum*, inquit, *Isaac à patre hostia duceretur, & lignum ipse sibi portaret, Christi exitum jam tum denotabat in victimam concessi à Patre, lignum passionis suæ bajulantis.* Nec aliena sunt, quæ Athanasium secutus ducem adfert Doctissimus Füllerus. *Quod à Doctissimo interprete Beza annotatur ex Plutarcho, quemque maleficorum suam portasse crucem, idem etiam de Tropæo ex eodem observare licet: eum ipsum videlicet olim, qui τὰ λάφυρα,* spolia illa opima *adeptus fuerat, eadem suspensa gerentem, fabricato ad id aptè ferculo seu Tropæo, in Capitolium adscendisse. Ita quippe Romulus fecisse memoratur à Plutarcho,* ὑπολαβὼν τῇ δεξιᾷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ προσερειδόμενον ὀρθὸν ἐβάδισεν, ἐξάρχων ἐπινικίου παιᾶνος. *Permagna igitur convenientia cernitur Tropæi crucisque non solum quod ad formam attinet consimilem, sed quod ad eundem etiam vetustum gestandi ritum. Quo justius & concinnius ab Ecclesiasticis Scriptoribus Crux* Tropæum *passim appellatur, & ab Apostolo satis clare significatur, cum* ἀπέκδυσις hostium despoliatio, *tum etiam* θρίαμβος Triumphus *cruci accommodantur & attribuuntur.* De principatu super humeros ex *Es. IX.* pluraque alia habes apud Justinum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Prosperum & Theophylactum.

apol. II.
lib. II. adv. Jud. c. 5.

SIMON

XLV.

SIMON CYRENÆUS.

Chriſto ſub onere crucis delaſſato, nec amplius ferre valenti, Simon Cyrenæus in via forte obviam factus à militibus ſurrogatur, ad ſignificandum myſticè tum ut innoteſceret omnibus, quod nō ſibi debitā mortē, ſed hominibus obiret; tum ut commonefaceret, oportere & Chriſtianos eſſe crucigeros. Chriſtum im Hertzen/ das Creutz auffm Rücken. Apud Lucam *c. XXIII*, & Johannem *c. XIX*. legitur, quod *angariaverint*, hoc eſt, *adegerint* ipſum ad ferendam crucem Domini. Verbum ἀγγαρεύω Græcum quidem eſt quoad formationem, ſed originem habet Perſicam. Erant autem Perſis οἱ ἄγγαροι, ut Suidas exponit, τῶν βασιλέων ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι. Rationem ἀγγαρείας ita deſcribit Herodotus, λέγουσι, ὡς ὅσων ἂν ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδὸς, τοσοῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην τεταγμένοι, τοὺς οὔτε νιφετὸς, οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἔργει, μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑαυτῷ δρόμον τὴν ταχίστην· ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ, &c. *Quot ex diebus tota via conſtat, totidem equos ac viros habuerunt diſtinctos ad ſingulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque æſtus, neque nox diſtinet, quin propoſitum ſibi curſum celerrime conficiant. Horum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus tertio, & ita deinceps mandata illa in alium atque alium pertranſeunt.* Vernacule dicas, Poſtboten. Sic ἄγγαρος ἵππος, Poſtpferd. Quoniam autem miniſtri regii ad itinera peragenda & onera ferenda quoſcunque ſive homines, ſive equos cogebant, factum ut ἀγγαρεία pro laboribus

in Urania. c. XCIIX.

 ſervi-

ſervilibus, qui mancipiis propriè competunt, ſumeretur. Evſthatio ἀγγαρεύεσθαι eſt εἰς φορτηγίαν, καὶ τοιαύτην τινὰ ὑπηρεσίαν ἄγεσθαι. Huc facit illud Arriani in Epictetum; ἂν δ' ἀγγαρεία ᾖ, καὶ στρατιώτης ἐπιβάλῃ τας ζώου σοῦ, ἄφες, καὶ μὴ ἀντίτεινε, μηδὲ γόγγυζε. *Si angaria ſit, & miles apprehendat animal tuum, ne renitaris, neque obmurmures.* Nimirum, ut advertit Salmaſius ille Maximus, angariæ præcipue locus erat expeditionis tempore, cum exercitus per viam militares tranſibant. Tum jus erat militibus capiendi, ex municipiis & villis viæ proximis, animalia ac jumenta ad vehendas ſarcinas ſuas: quod cum facerent ἀγγαρεύειν dicebantur, & ἀγγαρεύεσθαι, qui hoc pati cogebantur. *Angariare* autem, utut ſatis Latinum non ſit, reperitur tamen apud Ulpianum JCtum, & ſignificat, more τῶν ἀγγάρων alicujus fortuito oblati miniſterio uti, ſive velit, ſive nolit.

L. viæ Stern. de priv. veter. l XLIX. Pandect.

Quærunt eruditi, an Simon ſolus, an cum Chriſto oneri ſubjerit? Exiſtimant nonnulli Simonem crucis partem à tergo Jeſu portaſſe, ſub eodem onere præeuntis. At verba Evangeliſtæ, ἐξερχόμενοι *inveniunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, tunc adegerunt, ut ferret crucem ejus,* clare commonſtrant, Chriſtum ipſum partem itineris crucem ſuam tuliſſe, intra urbem nimirum, ſed cum fortaſſean deficeret ſub onere, translatam eam in obvium tum forte extra urbem factum. Ita ſentiunt Origenes, (*a*) Athanaſius, (*b*) Hieronymus, (*c*) Auguſtinus, (*d*) Leo Magnus, (*e*) Beda, Theophylactus, Evthymius, Lyranus & alii.

(a) in Matth. XXVII.
(b) in Serm. de Paßion.
(c) in Matth. XXVII.
(d) l. III. de conſ. Evang. c. 10.
(e) Serm. VIII. de Paſſion.

LOCUS

XLVI.

LOCUS CRUCIFIXIONIS.

Crucifixionis locum Evangelistæ describunt γενικῶς partim, partim εἰδικῶς. Generaliter dicunt, fuisse eum *extra Urbem*, qvod etiam observat Scriptor ad Hebræos *c. XIII.* 12. Congruebat id & Judaico & Romano mori. Mosaico tempore mortis supplicium sumi solebat extra castra, Num. *XV,35*. Postqvam Urbes inhabitatæ à Judæis, extra easdem id obtinuit *I.* Reg. *XXI.13*. De Romanis præclara multa affert illustris Grotius. Nimirum extra vallum deducebantur milites. Etiam extra urbem affigebantur cruci. Egrediebantur veró per portam Metiam seu Exqvilinam. De castris docet Seneca; *Damnatus extra vallum ad supplicium deductus fuerat.* Vegetius; *Decumani deducebantur olim extra vallum, ut capite plecterentur.* Scriptor belli Africani Cæsaris; *Sic extra vallum ducti sunt, & cruciabiliter interfecti.* De Urbibus Aggenus; *Sunt in suburbanis loca noxiorum pœnis destinata.* Plautus, *Milit. Act. II, sc. 4.*

> *Credo ego isthuc exemplo tibi*
> *Esse eundum actutum extra urbem dispessis manibus*
> *Patibulum cum habebis.*

Et habitasse carnificem extra urbem constat ex Cicerone pro Rabirio. Fere etiam crux juxta vias, ut magis esset conspicua. Cicero; *Cum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem in via Pompeja.* *Verrin. V.* Vel eadem de causa in monte, ut illa *Polycratis in excelsissimo Mycalensis montis vertice*, sicut ait Valerius. *lib. VI. c. ult.* Ac similiter illa Christi in Monte Calvariæ.

XLVII.

COLGOTHA.

Speciale loci nomen est Golgotha, vox Syriaca. Hebræis גלגלתא est *caput*, Syriacâ autem παραγωγῇ גלגלתא & elisa, ut quandoque fit, litera, *Golgotha*. Fontes Græcos corruptos esse hoc loco judicant Mercerus & Beza, dum pro γολγοθᾶ γολγολθᾶ reponi potius debere existimant, quibus favet Evangelium Hebræum, quod גלגלתא scribit, sed opponimus illud Casauboni; *Mihi religio est, sacros codices mendi arguere, nullâ necessaria ratione urgente, in lectione omnium seculorum consensu firmata. Nam ætate Nonni non aliter fuisse scriptum in omnibus libris, paraphrasis ipsius ostendit; Ubi propter metrum suspicio mendæ non est.* Sic ille de loco *Calvariæ*; Γολγοθᾶ τὸν καλέεσκε Σύρων στόμα. Credibile est Judæos, qui tempore Christi vixere, γολγοθᾶ quam γολγολθᾶ dicere maluisse, quia pronunciatio facilior, nec auribus ingrata.

Exerc. XVI. ad Baron. 81

Locum hunc denominatum à primi hominis cranio volunt Hieronymus (*a*) Tertullianus, (*b*) Origenes. (*c*) Cyprianus, (*d*) Athanasius, (*e*) Ambrosius, (*f*) Epiphanius, (*g*) Chrysosthomus. (*h*) Augustinus, (*i*) Nonnus, (*k*) Theophylactus, Evthymius, (*l*) At mihi verosimile non fit, Judæos locum sepultura protoplasti insignem facinorosorum cædibus & sepulturis inquinasse. Alii ergo à craniis mortuorum locum dictum existimant. At nec Judaici, nec Romani moris erat, sub dio relinquere defunctorum crania. Vossius vult, locum simpliciter sic appellatum, quia facinorosis illic soleant capita detruncari, ut locus capitis sit locus decapitationis. Qualis locus Romanis *Sestertium* ac *Scalæ Gemoniæ*. A forma montis

(*a*) in Matth. XXVII.
(*b*) l. II. cont. Marc. c. 4.
(*c*) Tract. XXXV. in Matth.
(*d*) Serm. de resurr. Dom
(*e*) Serm. de paß. Dom.
(*f*) libr. V. Epist. 19.
(*g*) libr. III. advers. hæreses.
(*h*) Homil. LXXXIV. in Joh.
(*i*) qv. CLXI in Genes.
(*k*) in paraphr. Joh.
(*l*) In Matth. XXVII.

cis humano capiti similis nomen loco inditum, quosdam voluisse, refert Cyrillus Hierosolymitanus. *Mons ita dictus*, inqvit Vir æterna memoria dignus Georg. Calixtus, *quod rotundus esset instar Calvariæ.* Cujus judicio acquiesco.

Scriptores sacri γολγοθᾶ nomine generali vocant *τόπον locum*, quem *Rus* dixit Juvencus, quamplurimi *montem* fuisse existimant. Memorat Joh. Cotovicus, qvi ipse vidit, exstare hoc loco sacellum, ubi ostendatur fovea, in qvam impacta fuerit crux: ejus formam rotundam sesqvipedem, latitudine per diametrum uncias sex continentem, marginibus argentea lamina obductis.

XLVIII.

VINUM MYRRHATUM.

Ut in locum supplicii deventum, potatur Dominus οἴνῳ ἐσμυρνισμένῳ, ut habet Marcus *c. XV, 23*, vel ut Matthæus *c. XXVII, 34.* ὄξῳ μετ' χολῆς μεμιγμένῳ. Ab aliis *vinum Myrrhatum*, ab *aliis vinum felle mixtum* Servatori oblatum vult Euthymius. At Historia lucide docet, eandem ab iisdem factam hic describi potationem. Communis sententia, qvam ex Magno Casaubono (*a*) mutuati sunt Viri ad invidiam docti, Gerhardus, (*b*) Calixtus (*c*) & Qvistorpius Senior, (*d*) est, Fœminas qvasdam pias, Christi doctrinam amplectentes, illi cupientes, & casum miserantes vinum myrrhatum, consuetudine gentis, parasse; sed cum accedere ad Dominum non possent, ac ne honestas quidem pateretur, vinum præparatum militibus tradidisse Domino porrigendum, qui, ut erant proni ad omne scelus, aceto ac felle immixto poculum mulierum corruperint. Verum conjectura mera est, cujus ipsa Historia

(*a*) *Exerc. XVI. n. 80.* (*b*) *Harm. Paß. c. XIII. §. 2.* (*c*) *Concord. Evang. libr. VI, c. 13.* (*d*) *in Annot. Bibl. ad h. l.*

ne vestigium quoddam exhibet: Ipse Fons optimam conciliandi rationem commonstrat. Differunt Evangelistæ in assignatione tum ipsius potus, tum mixturæ.

Potum Marcus vocat *Vinum*, Matthæus *Acetum*. Syrus & Arabs apud Matthæum legerunt ὄξος, *acetum*. At Vulgatus οἶνον, *Vinum*, quomodo in vetustissimo suo exemplari legi testatur Beza. Sic & Editio Evang. Hebraica, ויתנו לו לשתות יין *& dederunt ei bibere vinum*. Putat Vossius pro οἶνος librarium ὄξος rescripsisse, facili in ea vocum affinitate errore. At non usque adeo faciles esse debemus in admittendis librariorum erroribus, inprimis quando plerorumq; exemplarium consensum habemus. Sanè hoc loco præter Syrũ & Arabem ὄξος, non οἶνος legit Origines diligens exemplarium inquisitor. Quod Bezæ vetustum Codicem attinet, fortasse in illum librariorum culpa οἶνος pro ὄξος irrepsit. Constat enim in multis exemplaribus Græco margini ad vocem ὄξος adjectum οἶνος, interpretamenti gratia, quod postmodum in contextum quorundam librorum involavit. H. Grotius vult, ὄξος notare *vinum conditum*, s. factitii saporis, quemadmodum Xenophonti ὄξος ἑψητὸν ex palmulis memoratur, & contra cerevisia οἶνος κρίθινος Athenæo appellatur. Dieu contra ὄξος sumere pro vino condito exemplo putat carere & auctoritate. Nos ne sine necessitate literam videamur deserere, quod boni interpretis non est, per ὄξος intelligimus acetum proprie dictum, & apud Marcum per οἶνος vinum, sed acescens, quod *acetum* dicitur Horatio;

Si positis intus Chii, veterisq; Phalerni
Mille cadis (nihil est trecentum millibus,) acre
Potet acetum.

Ubi

Ubi *acetum*, seu vinum acre & acetosum opponitur *Chyo & Phalerno*. Potest etiam per ὄξος vinum acidum intelligi, seu *vappa*, quæ Græcis dicitur ὀξίνη. *Multa prolutus vappa* dicitur apud Horatium nauta. Vappam enim potare plebeji solebant.

Mixturam potus quod attinet, Marcus dicit fuisse οἶνον ἐσμυρνισμένον. Beza vult intelligi *myrrhinam* seu *murinam Romanorum*, quæ erat vinum dulce, mulierum Romanarum nectar, de quo Plinius; *Lautissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula quæ Persa inscribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet. Ideo quidam aromatice delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dorsenus his versibus decernit.* Mittebam vinum pulcrum murrhinam. *Et in Acharistione*; Panem & polentam, vinum murrhinam. *Scævolam quoque & Zælium & Attejum Capitonem in eadem fuisse sententia video, quoniam in Pseudolo sit,* l.XIV.c.13.

Quod si opus est, ut dulce promat,
Indidem & quicquid habet, rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, mella.

Quibus apparet non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum. Baronius existimat, ex potoriis murrhinis saporem vina myrrhinum attraxisse, ideoque & illa in pretio habita. Posterius non negamus, fuisse nempe potoria murrhina in pretio. Testatur id Plinius; *Eadem victoria* (de Triumpho Pompeji loquitur,) *primum in urbem murrhina induxit: primusque Pompejus sex pocula ex eo Triumpho Capitolino Jovi dicavit: quæ protenus ad hominum usum transiere, abacis etiam escariisq; vasis inde expetitis. Excrescitque indies ejus rei luxus murrhino octoginta sestertiis emto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potavit* Tom.I, ann. XXXIV.n. 95. l.XXXVII. c.2.

ex eo

ex eo ante hos annos Consularis, ob amorem obroso ejus margine, ut tamen injuria illa pretium augeret, &c. At murrhina Romanorum locum hic nullum habet, quod exhibere Domino per immanem hostium crudelitatem matronæ sanctæ non permittebantur, quodque non fellei, hoc est, amarissimi, sed jucundi erat soporis, nec denique ab Evangelistis ludibriis ac cruciatibus annumerari poterat. Nec à vasis cognominationem ἐσμυρνισμένȣ sortita vina certum est. Nam apud Græcos de myrrhinis poculis loquentes ὕλην μυῤῥίνην, *materiam murrheam* legimus; σμύρναι ea notione usurpatam nusquam invenimus. At quomodo ab illis vasis appellari vinum ἐσμυρνισμένον quitum est, nisi ipsa vasa ita nominarentur? Nec exemplo similis analogiæ defendi potest, vinum in myrrhinis propinatum ἐσμυρνισμένον appellari. Sane veterum nullus vinum ὑαλισμένον dixit, quod in vitrea, aut ἠργυρεσμένον, quod in argentea pocula esset infusum. Imo vero, cum ejusmodi pocula in maximo pretio fuisse constet, ipseq; Baronius non neget, petulantissimis militibus præsto fuisse tam pretiosa, tam fragilia vasa cui probabit? Quis credat inter carnificum manus Regum delicias esse volutatas? Insuper odorem vino non conciliabant myrrhina, nisi calefacto, foculum autem eò allatum ne fingere quidem fas est. Quod si quisquam comminisci velit in myrrhino fuisse vinum calefactum, sed deinde in aliud vas refusum, & in locum supplicii delatum, præter fingendi quam sibi sumit licentiam, hoc etiam incommodum subire cogitur, ut concedat, plus hoc modo generositati vini decedere & sapori, quam gratiæ addant myrrhina. Omne enim vetus vinum calefactum & refrigeratum languidum est & insalubre, evaporantibus spiritibus &

fœcul-

fœculentiore materia reſidente. Prolixius contra Baronium agunt Iſaacus Caſaubonus (*a*) & Adamus Contzen. (*b*) Rectius judicant, qui putant intelligi vinum myrrha miſtum, lacryma ſc. myrrhæ inſuſa. Id enim proprie dicitur ἐσμυρνισμένον, quod myrrhatum, ſeu myrrha miſtum eſt. Nec aliter Syrus intellexit, qui vertit, *Vinum miſtum in myrrha*, vel *cum myrrha*. Et Syro conſentit Arabs. Ex Rabbinis quoque obſervare eſt, puniendo ſolitum exhiberi קורט לבנה בכוס של יין *granum thuris in calice vini*. Thus pro myrrha per quandam ſpecierum σύγχυσιν poſitum vult Caſaubonus. At Dieu; *Nihil ex recepto Judæorum more hic factum, qui hoc morituris humanitatis officium præſtare ſolebant, ut vinum propinarent cum grano thuris. Hic contra pro vino acetum, pro benigni ſaporis thure amarorem myrrhæ propinarunt, ne quid deeſſet, quo virulentum ſuum in Servatorem animum proderent. Id ſane malo, quam cum Cl. Caſaubono ſtatuere, in libris Hebræorum thus memorari pro myrrha, quum hæc longe diverſiſſimi ſint ſaporis, & loca ex Hebræis citata conſtanter thuris mentionem ferant.* Bab. Sanhedrin; *Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granum thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus, ſicut dicitur*, Date ſiceram perituro, & vinum iis, qui amaro ſunt animo, &c. *Traditioque eſt, fœminas generoſas Hieroſolymitanas hoc à ſpontaneo ſumtu ſuo exhibuiſſe.* Conf. Majmonidem (*a*) & Galatinum. (*b*) Quod Matthæus de Felle habet, ita cum Marco conciliat Theophylactus, ἢ σμύρνα πικρὰ ὡς χολὴ. Nimirum χολὴ, quod advertunt Beza, Grotius & Dieu, hoc loco non in ſpecie notat fel, ſed laxius amarorem, qualis erat myrrhæ genuinæ. Sane voce χολῆς *abſinthium* ſignificant Græci interpretes Prov. *V*, 4. Thren. *III*, 15. Atque ita vocem Græcam hic ſumſit

(*a*) *l. c.*
(*b*) *in Matth. c. XXVII.*

fol. XLIII, 1.

(*a*) *l. XIV. halach.*
(*a*) *l. VIII. de arc. Cathol. verit. c. 19.*

Syrus, vertens מררתא quod *amarorem* significat, & propterea absinthio non minus quam felli aptatur. Nec multum culpandus Arabs, qui pro μετὰ χολῆς habet *myrrha*. Neque vero aliter Augustinus, qui, *Fel*, inquit, *pro amaritudine posuit.*

Restat ut discutiamus, cur Domino vinum hoc myrrhatum exhibitum? Qui cum Baronio commiserationis affectu allatum volunt Viri gravissimi, mihi non satisfaciunt. Non enim humanitatem ullam, sed crudelitatem maximam tam in Judæis, quam militibus notant Evangelistæ. Volunt alii, oblatum hoc vinum, ut inebriaret, ne horrorem supplicii Dominus attenderet. Audi-
J. 2. endus hic inprimis est Cl. Casaubonus, qui, *Dubitari non potest*, inquit, *ex Hebræorum consvetudine profectum esse, quod Servatori in ipso articulo, quo fuit crucifigendus, poculum est exhibitum vini myrrhati. Invenio similis humanitatis genus apud Athenienses olim fuisse in usu: nam qui damnati capitis fuerant, cum è loco judicii exibant ducendi ad supplicium, cibū vinumque largius sumendi facultatem habebant: tum etiam poterant tria quæ vellent cunque proloqui. Deinde ubi edendi bibendique finem fecerant, ore obturato ad pœnam rapiebantur. Omnino similis Atheniensium mos hic est cum more Judæorum. Illi dabant exeuntibus è judicio jam jam perituris: hi perductis ad locum supplicii, post factam confessionem, quam diligenter à morituris sive supplicio, sive morte sua, exigebant. Illi potestatem faciebant ingurgitandi sese cibo & vino, id procul dubio spectantes, ut puniendi vino ciboque obruti horrorem supplicii minus attenderent. Hebræi in eundem finem Granum thuris aut myrrhæ vino miscebant. Finem potionis hujus declarant Rabbini, cum dicunt, propterea fuisse exhibitam, morituro rationis usus ut tolleretur.* Sed audiamus ipsos Rabbinos,

nos. Talmudici in Sanhedrin cap. VI, fol 43. חיוצא משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו *Ei, qui exit neci tradendus, propinatur granum thuris in calice vini, ut mens ejus perturbetur*, ubi Glossator addit, ולא ידאג ויתמהמה בהריגתו *ne mæreat, atque ut ſtupidus fiat, cum morti addicitur*. Convenit ferè Dioſcorides lib. I. qui de thure, μανιῶδες δὲ, inquit, πινόμενον ὑπὸ τῶν ὑγιαινόντων, *à ſanis potum furorem excitat*. Refutat hoſce Baronius, eo quod myrrha ebrietatem & alienationem à ſenſibus non efficiat, imo præſervet & vapores digerat, idque probare conatur allato teſtimonio Ariſtotelis ex Athenæo. *l. II, c. 3.* Sed graviter hallucinatur; Habere myrrham vim ſoporiferam, docent Galenus (*a*) & Dioſcorides. (*b*) At quomodo ſoporem, qui ex humido & frigido originem habet, efficiat myrrha, quæ calefacit, ſiccat, adſtringit, fluxiones ſiſtit? Myrrha largius ſumta calefactione nimium celeri & vehementi ſolvit humores & emollit, qui ſubito delati arterias, quæ Carotides appellantur, cum nervis adjunctis opprimunt, atque ita carum efficiunt. Mihi vero quo minus probetur Cl. Caſauboni ſententia, obſtat, tum quod de aliis duobus cruciariis nihil de marcore referatur, qui tamen à communi lege & conſvetudine non poterant eſſe excluſi; tum quod ſciam in crucem actos ſcelera, ut diu morerentur, & mori ſeſe ſentirent. Sane Hiſtoriæ, quotquot de crucifixis legi, omnes contendunt, ſupplicia illis undique aucta & conquiſita, non autem mitigata fuiſſe. Si dicendum quod res eſt, & quod communis cruciarios tractandi conſvetudo ſuggerit, dixerim vinum myrrhatum Domino exhibitum, ut vires animumve ad graviora tormenta ferenda firmaret, neve deliquio & imbecillitate penitus obtorpeſceret,

(*a*) *libr. XV. c. 19.*
(*b*) *libr. I. c. 77.*

ceret, cum multi ſolo tormentorum adſpectu linquantur animo, idque poſt vigilias, vexationes nocturnas, flagellationem, & qui ſecuti erant, labores, vererentur ne Chriſto contingeret, quem cruci ferendæ in via imparem viderant. Certe myrrham animo & corpori robur conciliare, ex Apulejo conſtat, apud quem legas, (a) *indicem ſeſe multimodis commaculat ictibus, myrrhæ præſumptione munitus.* Et alibi, (b) *Obfirmatus myrrhæ præſumptione, multis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.* Vis eadem eſt ſemini erucæ, quo iccirco ſe præmunire ſolebant, qui torquendi ſunt. Plinius; *Ajunt verbera ſubituris potum erucæ ſemen ex vino duritiem quandam contra ſenſum inducere.* Id omnino experientia certum, ad odorem vini vel aceti, & præſertim myrrhati ſpiritus feſſis, animoque defectis redire ſolere.

(a) l. VIII. Metam.
(b) l. X.
l. X, c. 13.

XLIX.

DIES CRUCIFIXIONIS

Vocatur *Paraſceve Paſchæ* Joh. *XIX*, 14, Toletus, Baronius, horumq; legens veſtigia Cl. Bochartus, *paraſceven*, quam *Paſchæ* vocat Johannes, non Paſchæ fuiſſe contendunt, ſed Sabbati, Paſchæ tamen dictam, quia acciderit eo anno, ut idem dies eſſet & Sabbati paraſceve & dies ipſe Paſchatis. *Cum Paraſceve pro præparatione ſumitur, non refertur niſi ad Sabbatum Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54. Joh. XIX, 31. in quibus locis nota, non dici paraſceven Sabbati, ſed ſimpliciter paraſceven, quia ſacri Scriptores aliam Paraſceven ſeu præparationem non nôrunt, quàm Sabbati. Sabbato nempè cum ignem accendere, nec parare cibum licuerit, neceſſaria fuit Paraſceve, i. e. horas aliquot ante Sabbati veſperam inſumere in iis inſtruendis & adornandis, quæ ad feſtum erant neceſſaria,*

necessaria, Exod. XVI, 5. 23. nè scil. harum rerum cura Sabbati quietem interturbet. At aliis festis præter Sabbatum lex non fuit ita præcisa. Iis enim servilia opera ita prohibita fuêre, ut tamen licuerit parare cibos, quod de paschalibus festis disertè legas Exod. XII, 16. itaq; de illorum παρασκευῇ nihil in lege præscribitur. Sed dies, quo Christus crucifixus est, cum alibi προσάββατον & παρασκευὴ dicatur (nempè Sabbati) à Johanne appellatur παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quia hoc habuit peculiare, quod in Paschatis festum incidit, unde hoc illi proprium, quod à Pascha denominatur: ut veris vel autumni æquinoctium vocamus, quod in Ver vel in autumnum incidit, scribit Bochartus. Sed protrita hæc sunt, & à Casaubono jam dudum explosa. Certum interim est Judæos, quo Christus crucifixus est, anno die non legali decimo quarto Nisanis celebrasse festum Paschatis, sed decimo quinto. Parasceve ergò, cujus apud Johannem mentio, non fuit ad verum Pascha legale, sed ad traditionale Judæorum, quod isto anno uno die serius fuit legitimo. Fusè hanc ipsam controversiam pertractat Robertus Bailius, qui videatur.

Part. I. Hieroz. lib. II, c. 50.

ad annal. Baron. exer. XVI, an. 34, n. 30.

Oper. Histor-Chronol. p. II. l. II, qv. 15.

L.

HORA CRUCIFIXIONIS.

De hora crucifixionis dissentire videntur Evangelistæ. Nam Marcus *c. XV, 25.* ait, Christum *hora* diei *tertia* affixum cruci. At apud Johannem *XIX, 14.* id factum legas parasceves *bora quasi sexta.* Ut torserit hæc difficultas etiam Doctissimos quosque, dici vix potest. Augustinus duplicem adfert expositionem. Prima est, quod Christus & hora tertia, & hora sexta sit crucifixus: Hora tertia linguis Judæorum Crucifige clamantium; hora sexta manibus.

l. III. de consens. Evang. c. 13.

nibus militum. Sed de reali crucifixione Marco ſermo eſt, quam ſubſecuta eſt eveſtigio veſtimentorum diviſio, non de metaphorica. Altera eſt, Johannem loqui non de ſexta hora diei, ſed præparatione noſtri Paſchatis, quod Chriſtus eſt. Verum, præterquam quod iſta Expoſitio coacta, incerta & Methaphorica eſt, modus iſte computandi horas nuſpiam deprehenditur uſitatus fuiſſe. Utramque hanc ſolutionem adducit Aquinas *part. III. ſumm. qv. 46.* Legi etiam meretur jam laudatus Bailius *l. c. qv. 14.*

(a) in Pſ. LXXVII. (b) in Joh. XIX.

Autor commentariorum in Pſalmos, (*a*) qui vulgo etſi falsò Hieronymus creditur, Theophylactus (*b*) Comeſtor, Eraſmus, Cajetanus, Sixtus Senenſis & alii volunt eſſe lapſum librarii in alterutro loco. Nonnulli mendam quærunt in Marco, in quo ſcriptoris vitio mutatum putant ϛ in γ, Hieronymus inprimis & ex eo Petrus Comeſtor, quibus favere videtur Verſio Æthyopica legens apud Marcum *horâ ſextâ.* At Theophylactus apud Johannem Γ in ϛ eſſe mutatum ab aliud agente librario, multis diſputat. Hanc ſententiam ſuffulcit Nonni auctoritas, cujus paraphraſis ſic habet,

ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη

l. XII. de Doct. Temp. c. 19.

Huc facit, quod Petavius refert, habere ſe Petri Alexandrini opuſculum ἀνέκδοτον ubi teſtetur, in autographo Johannis, quod Epheſi adſervatur, ſcriptum fuiſſe, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη. Ipſa verba Epiſcopi hæc ſunt; καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. Libellum ipſum ſe legiſſe teſtatur ſupra laudatus Johannes Boiſius. Camerarius quoque & Beza notant, in ſuo vetere libro apud Johannem

ad Marc. XV, 33.

hannem ſcriptum fuiſſe, ὥρα ἦν ὡς τρίτη. Quandoquidem Cl. Caſaubonus putat, non rejiciendam eſſe hanc de menda librarii in litera numerali ſuſpicionem, nos eam quidem hac vice in medio relinquimus, perſvaſi interim tantam iſtorum ſignorum ſimilitudinem non eſſe, ut tam facile permutari potuerint. Et unde conſtat voces iſtas ſignis numeralibus, & non potius expreſſis ſyllabis fuiſſe ſcriptas? *Quod Petri Alexandrini nomine citatur*, inquit Cl. Bailius, *mera videtur fabula: quis enim ejus diebus Johannis autographum extitiſſe credat?* Æthyopici, *etiam* qui nuper prodiit, interpretis minuta valdè eſt auctoritas. Theophylactum ipſi ſibi repugnare *l. c.* demonſtrat Bailius.

Moderni Theologi ſtatuunt, Judæos diem in quatuor majores ſeu compoſitas horas diviſiſſe, in primam, tertiam, ſextam, nonam: quarum ſingulæ tres complecterentur horas minores. Marcum ergo partem illam diei, quæ ab hora tertia usque ad ſextam porrigitur, à fine ſuo vocare tertiam; Johannem vero ab initio ſextam. Sic Gerhardus, (*a*) Janſenius, (*b*) Barradius (*c*) Alſtedius, (*d*) Gagnejus, Sainctes, Maldonatus, Toletus, Svarius, Baronius, Torniellus, Salianus, Martinez, Tena, Raynaudus, Ribera, Mendoza, Sherlogus, Bailius & innumeri alii. Certe noctem in 4. vigilias diſtributam certum eſt. Nam primæ vigiliæ fit mentio Thren: *II*, 19. ſecundæ & tertiæ *Luc. XII*, 38. quartæ & ultimæ Matth. *XIV*, 25. At de ejusmodi diei diſtributione in Scriptura & Antiquitate altum ſilentium. Fit quidem tertiæ, ſextæ & nonæ mentio apud Tertullianum (*e*) Cyprianum, (*f*) & Chryſoſthomum (*g*) Verum non reperitur, tertiam, ſextam & nonam plures diei horas complecti: ſed ſolum ſingu-

(*a*) *Harm. Paſſ. c. XI.*
(*b*) *in Concord. Evang. c. 142.*
(*c*) *Tom. IV. l. VII. conc. Evang. c. 13.*
(*d*) *l. II præcogn. c. 109.*
(*e*) *libr. de jejunio c. X.*
(*f*) *libr. de Orat. Dominic.*
(*g*) *Homil. LIX. ad populum.*

singulas istarum horarum in ordine ad res divinas & officium orationis fuisse solenniores. Audiamus, quæ habet hanc in rem B. Calixtus; (*h*) *Hujus partitionis indicia manifesta reperiri putant* (Authores) Matth. XXIII. *Verum ibi undecima quoque fit mentio horæ, neque tamen hinc, licet partitio probata esset, denominationem illam, quo solutio unice nititur, demonstratam haberemus. Quin secundum illam numerandi & nominandi rationem primum quadrantem oportebit appellari horam duodecimam, quod durum videtur. Censorinus quidem*, (*i*) Alii, *inquit*, diem quadripartito, sed & noctem similiter dividebant, idque similitudo testatur militaris, ubi dicitur vigilia prima, item secunda, & tertia & quarta. *Sed hoc nihil quicquam facit ad illam observationem, de qua nunc agitur. Est itaque ista non tam partitio quidem diei in quadrantes, quam quadrantum appellatio prorsus arbitrario conficta, & nullo veterum testimonio subnixa.*

Viri Clarissimi, Johannes Affelmannus (*k*) & Ludovicus de Dieu Piscatorem, nî fallor, secuti (*l*) distingui volunt inter computationem horarum Romanam & Judæam: illam Johannem, hanc Marcum observare putant. Romani enim diem suum civilem inchoabant à sexta hora noctis, quæ nobis est ferme prima; Judæi ab ortu Solis. De Judæis res expedita est. De Romanis id confirmant Agellius (*l*) & Alexander ab Alexandro. (*m*) At Johannem, qui alibi in recensendis horis Judæorum consvetudinem observat, *c. I, 40. IV, 6. XI, 9.* hic attendisse morem Romanum non est credibile. Prolixè satisque feliciter sententiam hanc refutat Bailius *l. c.* Nec possum amplecti illorum opinionem, qui Christum hora tertia post ortum Solis crucifixum esse statuunt, in quibus

(*h*) *Concord Evang. l. VI, c. 12.*

(*i*) *de die nat. c. XXIII.*

(*k*) *in resol. VII. verb. Chr. th. 9.*

(*l*) *ad h. l.*

(*l*) *libr. III. c. 2.*

(*m*) *l. IV. genial. dier. c. 20.*

qvibus eſt Cyrillus Hieroſolymitanus (n) Quomodo e- (n) Catech. XIII.
nim trium horarum vulgarium ſpatio expediri poterant tot actus? condemnationis à Pontificibus & Senatu Eccleſiaſtico, abductionis ad Pilatum, accuſationis, examinis, abſolutionis apud Præſidem, ablegationis ad Herodem, reductionis ad Pilatum, collationis cum Barraba, flagellationis, productionis coram populo, accuſationis novæ, examinis novi, abſolutionis iteratæ, traditionis ad mortem crucis, productionis latronum, eductionis ad locum Calvariæ, eæque lentæ ob Chriſti laſſitudinem, ipſius deniqve crucifixionis?

Mihi in tanto ſententiarum divortio ſummorum (o) l.c.
Virorum placet modeſtia, D. Georg. Calixti, (o) qvi, *Si neqve qvadrantum diei appellationes, nec mendum deſcriptorum admittimus, fateri nos oportet, eſſe in ſacra hac hiſtoria, qvæ à nobis exponi non poſſint.* Et D. Georgii Kônigii (p) Diſſ. XIV §. 9.
in Vindic. ſacr. (p) ſic ſcribentis; *Ego hic ignorantiam meam agnoſco, & ab aliis informari peto.*

LI.

POENA CRUCIS.

Crucis ſupplicium etiam apud Judæos in uſu fuiſſe, præter Baronium Carolus Sigonius & Juſtus Lipſius affirmare haud verentur, contra qvos negativam ſolide ſatis tuetur Iſaakus Caſaubonus, Vir in omni ſtudiorum genere ſubactiſſimus. Primum omnium certisſimum eſt, Judæis tantummodo quatuor ſuppliciorum genera fuiſſe, nempe סקילה *lapidationem*, שרפה *vivicomburium*, הרג בסיף *decollationem*, & מחנק *ſtrangulationem.* Hæc quatuor genera Rabbini hinc inde memorant. De cruce vero proprie ſic dicta ſeu Romana, altum &

constans apud ipsos est silentium. Deinde, qvod fortassis majoris momenti est argumentum, persvasum doctis est, nullum in Scriptura reperiri Hebræorum verbum, qvod crucem proprie dictam significet, nullum, qvod actioni crucifigendi proprium sit. Tria illa, עץ, & יקע, & תלה nimis generalia sunt, nec vel ex nativa sua significatione, vel peculiari aliqvo sacrorum scriptorum usu Crucis Romanæ supplicium designant. Nec obstat, qvod Interpres V. Testamenti crucis meminit. Nam ubi in fonte *ligni* mentio fit, *crucem* ille vertit, cum ligni nomen sit generale, nec minus conveniat arbori infelici, de qva suspendebantur, qvam cruci. Imo & σαυρῦ nomen non solius est crucis, ut ne qvidem è LXX solidi qvicqvam exsculpere sit. Prolixius hæc demonstrat Casaubonus. Denique vix ullus in veteri Codice reperitur locus, in quo de crucis Romanæ supplicio proprie & specialiter agatur. Sane Deut. XXI, 23. nihil particulatim de cruce, sed generatim de ligno legas, ut intelligantur tam suspensi, quam crucifixi. Recte tamen illa verba Mosis ad Christum adaptat Paulus Gal. *III.* 13. qvia universe qvisqvis in ligno penderet, typus foret Christi. At Psalmo *XXII.* supplicium crucis signari dubium eqvidem nullum. Verum istud non historice de se David scribebat, sed in spiritu Prophetico de Christo.

Exerc. XVI. n. 77. per tot.

Cœterum non inscitè Lactantius; *Dicat fortasse aliqvis; cur, si Deus fuit,* (Christus,) *& mori voluit, non saltem honesto aliqvo mortis genere affectus fuit? cur potissimum cruce? qvod etiam homine libero, qvamvis nocente videatur indignum. Primum, qvod is, qvi humilis advenerat, ut humilibus & infirmis opem ferret, & omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, qvo humiles & infirmi solent,*

lib. IV. de ver. sap.

lent, ne qvis esset omninò, qvi eum non posset imitari. Nimirum crux servilis erat pæna. Juvenalis, *Sat. 11.*

Pone crucem servo, Meruit qvo crimine servus
Supplicium? qvis testis adest?

Seneca; *Crudelitatem privatorum serviles qvoq; manus sub certo crucis periculo ultæ sunt.* Cicero; *Ut qvam servis damnatis crucem fixeras, nunc in damnatis civibus Romanis reservares.* De Macrino, viro superbo & sangvinario, Julius Capitolinus: *Nam & in crucem milites tulit, & servilibus suppliciis semper affecit.* Qvàm benè hoc in illum, qvi ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος *Phil. II. 7.* *lib. I. de clem. c. 26.* *V. in Verrem*

Sed & aliæ observentur rationes, cur Christus in crucem agi debuerit? Poscebat id typus exaltati serpentis ænei *Num. XXI, 9. Joh. III, 14.* Poscebat ordo salutis nostræ, ut *per lignum erigeretur lapsus in ligno*, juxta Leonem; ut per hoc genus supplicii cœlum inter terramq; positus Servator verum se ostenderet Deum inter hominesqve mediatorem; ut ligni execrationem tolleret, doceretq; nobis qvoqve totum corpus extendendum in obseqvium Dei, & carnem crucifigendam. Plures causas allegant Cyprianus, Tertullianus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Damascenus, aliive *Serm. VI. de pass. c. 4.*

LII.

MATERIA CRUCIS.

Ex ligno fuisse crucem Domini pauci sunt, qvi dubitent. De ligni tamen specie parvula qvædam lis. Qvi ex *robore* seu *quercu* fuisse arbitrantur, ficulneis nituntur argumentis. Dicunt roboris in crucifigendo inprimis u-

ſum fuiſſe freqventem, tanqvam ob duritiem, fixioni maxime apti. Sed qvod dicunt, non probant. Qui è Silio Poëta id probare ſatagunt, ignorare videntur, qvod nomen *roboris*, *abietis*, *alni*, *pinus* pro qvalibet arbore ſæpe uſurpetur Poëtis. At qvercus, inqviunt, freqvens erat in Judæa & cuivis obvia. Credat Apella. Quercum in Judæa rariſſimam fuiſſe, ex Hebræorum fragmentis conſtat.

Qui è *cedro* vel *cypreſſo* fuiſſe crucem conjectant, firmiori vix inſiſtunt talo. Non potuiſſe aliter eſſe perſvaſi ſunt, qvia trecentis annis ſub terris durarit, priusqvam ab Helena inveniretur. At nugæ meræ ſunt, qvæ de inventione crucis Helenica referunt authores, ad excoriandum miſerum popellum pictæ fictæqve. Demus autem aliqvid ſubeſſe ſolidi, nihil tamen ejusmodi ligno opus. Potiori cedro digna ſunt, qvæ habet ſolidæ atqve ingentis doctrinæ Vir, G. J. Voſſius; *Neque alia ligna ſub aqvis demerſa, vel terris profunde obruta, putreſcunt: quod quotidie experiuntur Hollandi: Nam palos profunde in ſolum impactos, qvaſi recentes poſt ſecula tota educunt: imo & arbores inundatione everſas. Putredo ac caries ſunt ab aëre & tepore. Aër vaporq; abſit, proq; tepore ſit frigus: durabit lignum multis ſeculis. Qvod vero capuli mortuorum tam facile putreſcant, id eſt ex eo, qvod plurimum aëris contineant. Et multum ignis ineſt corporibus humanis: qvi non omnis à morte ſtatim exſpirat. Unde aër ille tepidior, qvam ſi foret cenotaphium.* Inſanus foret, qvi crediderit, admiſiſſe hoſtium immane-furentium crudelitatem, ut cedrina crux pararetur Domino. Abjectiſſima qvæque fuerunt in abjectisſimo & ob noſtra ſcelera damnatisſimo vermiculo JESU.

Harm. Evang. l. II. c. 7. §. 10.

Nonnulli

CXLIX.

Nonnulli etiam ſunt, ſed illi fabuloſi auctores, qvi lignum crucis è qvadruplici lignorum genere compoſitum fuiſſe ſcribunt. Videntur hi male intellexiſſe Bedam, qvi qvatuor ligna crucis memorat, per qvæ intellexit forte qvatuor partes, ex qvibus compoſita fuit ac compacta crux. Duo hinc inde brachia, qvæ duo ligna ſunt, qvæq; à ligno erecto ſeparantur. Rurſus duo etiam ligna videntur eſſe diverſa, altum & imum, qvæ à tranſverſo ligno disjunguntur.

Nos cum Gretzero judicium hic noſtrum lubentes ſuſpendimus, & dubium relinqvimus Lectorem potius, qvam ut de re incerta non ſine temeritate & periculo certi qvid ſtatuamus. *Libr. I. de Cruce, c. 5.*

CL.

FORMA CRUCIS.

Crucem in *ſimplicem* & *compactam* diſtinguit Clariſſimus Lipſius. De ſimplici hic nullus dicendi campus. At compacta alia erat *decuſſata*, adinſtar literæ X. qvam & *Andreanam* vocant, qvod tali Apoſtolus Andreas fuerit interfectus; alia *capitata*, in qva aliqvantum ſtipitis ſupra caput emicat, adinſtar mali navis cum antemna ſua, †, ut deſcribit Jacobus Gothofredus, JCtus; alia *ſine capitello*, in formam literæ T majuſculæ. At Furca ſeu patibulum vetus cornua ex arrectario ſtipite ſurgentia in diverſa extendebat & Y Græci figuram repræſentabat. Atq; à duobus illis patentibus cornibus erectis & diſpanſis, non à *patiendo*, ut putabat Iſidorus, *patibulum* dicebatur. Patibulum recentius à Conſtantino inductum, hodieqve uſitatum, obtinet formam Græcæ literæ Π. In hoc patibulo non clavis figi ſolent, ſed reſte ſtrangulari.

Libr. I. de Cruc, c. 5.

In notis ad l. Tertull. c. 12.

Sed ad crucem Salvatoris. Repræsentasse illam literam T, testimonio Tertulliani fere persvademur, qvi; *Dicit Dominus ad me, pertransi in medio portæ Hierusalem, & da signum Tau in frontibus virorum. Ipsa est enim litera Græcorum tau, nostra autem* T. *species crucis qvam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & catholicam Hierusalem.* Respicit Ezechielis *cap. IX.* ubi Dominus jubet, ut Angelus per mediam eat Hierosolymam, inqve fronte eorum, qvi piis suspiriis ob peccata populi & calamitates ejus ingemiscunt, *Tau* notet, qvo his solis parcatur, dum occidione occiduntur, qvi non fuerint ita signati. Origines ex hoc ipso loco probare conatur, crucem Domini retulisse figuram Tau Hebræi, non qvale est apud Judæos, sed Samaritanos. Certe Tau Hebræum habet figuram longe aliam, qvæ propius accedit ad literam ת. De Samaritano non adeo pertinaciter negaverim, si qvidem ante captivitatem Babylonicam easdem fuisse Judæorum ac Samaritanorum literas satis constaret. Hodie sane Alphabetum Samaritanum nihil præfert tale, in qvo litera ultima Tau figura N. expressa exhibetur. Salmasius ille incomparabilis putat memoriæ qvodam lapsu de Samaritano prodidisse Origenem, quod in Ægyptiaco legerat Alphabeto. (*a*) Reperiri in Ægyptiorum literis sacris, qvas Rocha Mercurio tanqvam primo inventori tribuit, (*b*) in figura T ultimam, dubium nullum est, At qvis crediderit literas istas esse genuinas? Thomas Bangius, Vir in hoc studiorum genere cultissimus, testatur, (*c*) nullam harum literarum sacrarum Ægyptiis adscriptarum vel minimum characterem eorum referre, qvi visuntur in Oedipo Ægyptiaco Athanasii Kircheri, in cœlata Pignorii Tabula, in Jacobi Bosii Sculptu-

lib. III. cont. Marc. c. 22.

(*a*) *Epist. I. de Cruce ad Barthol.*

(*b*) *p. 101.*

(*c*) *In Cœl. Orient. Exerc. II.*

Sculpturis Æpyptiacis, Ulyſſis Aldrovandi figuris Hieroglyphicis, Becani ſimulacris Ægyptiacis, Pauli Petavii monumentis characteres Ægyptiacos oſtendentibus, quæ Pariſiis 1610. ſunt excuſa. Quod caput Ezechielis *IX.* concernit, fortaſſis omnis de eo qvæſtio eſt otioſa, qvia Propheta non loqvitur determinate de figura literæ, ſed indefinite de ſigno aliqvo. Aqvila & Theodotio retinent qvidem Hebræam vocem TAU, ſed LXX. & Symmachus generaliter tranſtulerunt σημεῖον. Interim penes nos omnino certum eſt, formam crucis fuiſſe eam, qvæ eſt literæ T apud Græcos & Latinos.

LIV.

PARTES CRUCIS.

De eſſentialibus partibus, ex qvibus Crux compoſita fuerit, fere inter Doctos convenit. Fuerunt eæ ligna duo, *Stipes arrectarius*, qvem obtegebat corpus cruciarii; (Juſtino (*a*) dicitur ὄρθιον ξύλον; Tertulliano (*b*) *ſtaticulum & ſtatumen*) & *lignum transverſum*, ad qvod cruciarius extendebat manus, qvæ deinde affigebantur, teſte Arriano in Diſſertatione Epicteti. (*c*)

At de Sedili & ſuppedaneo non omnino convenit. *Sedile* vocant lignum medianum, ſeu medio trunco impactũ, qvaſi cornu, cui cruciarius inſideret, & ut eo cruciaretur furioſius, *acutum*, qvo inſidentis membra exqviſito horrore ſecarentur. Lignum erat ex medio ſtipite arrectario inter femina cruciarii excurrens. *Sedilis exceſſum* vocat Tertullianus. Juſtinus eo ἐποχεῖσθαι *vehi* cruciarios dicit. Irenæus in eo ἀναπαύεσθαι *reqvieſcere*. Innocentius *truncum* vocat *ſuppoſitum*, qvia natibus cruciarii ſupponebatur, ut in eo qvaſi ſederet. In illo primum ſtatueba-

(*a*) *Dialog cum Tryphone.*

(*b*) *libr. I. adv. Nationes c. 12.*

(*c*) *libr. IV. c. 26.*

statuebatur crucifigendus & qvidem de plano sine ulla scala, manibus carnificum levatus, & ei sedili impositus. Tum illum palum inscendebat carnifex & insistebat, ut manus extensas suspendiosi ligaret, & clavis configeret. Fuisse ejusmodi sedile in cruce Domini necessitate & auctoritate probatur. Necessaria plane erat hæc pali in media cruce defixio, ad sustentandum corpus patientis, qvo in hoc statu diutius posset pendens conservari. Manus enim confixæ clavis, aut brachia funibus religata vix poterant molem corporis suo pondere deorsum ruentis sustinere, ubi tabo diffluere ac dissolvi ex mora longiore cœpisset. Quod enim de suppedaneo ajunt, cui & pedes innixos qvasi scabello volunt reqvievisse, nemo non videt, ruentis pondere suo deorsum corporis mortui onerosum truncum non posse pedibus, qvamvis in ligno constrictis, sustentari. At metus hic eximitur omnis si mediũ corpus sua mole alicui sustentaculo innitatur. Necessaria qvoq; erat eqvulei illa insertio, ut facilius in cruce extendi qvirent & affigi cruciarii. Si dixeris cruce in terra posita supinos illos ita ad eam alligatos, pedibusqve & manibus confixos, tum sic crucem suo cruciario vestitam, erectam fuisse & in solum defixam. Non nego qvidem haud deesse, qvi huic opinioni faveant, in qvibus sunt Laurentius Justinianus, (a) Palæotus, (b) Franciscus Lucas Brugensis, (c) & Bartholinus. (d) At receptior consvetudo erat, ut prius nuda crux infigeretur humo, ac deinde in eam tolleretur cruciarius. Ostendunt hoc verba Josephi; ὁ δὲ Βάσσος προσέταξε καταπηγνύναι σταυρὸν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον *Bassus jussit crucem desigi, tanqvam protenus suspensurus Eleazarum.* Pro hoc modo faciunt formæ illæ loqvendi, *excurrere in*

crucem,

(a) *Serm. de passion.*
(b) *c. VI. de sacr. Sind.*
(c) *in Matth. c. XXVII. 35*
(d) *de Latere Christi c. VII.*
(e) *libr. VII.* ἁλώσεως.

crucem, *insilire in crucem*, *adscendere in crucem*, *levari in crucem*, *tolli in crucem*. Quæ non possunt dici de eo, qui in jacentem & solo stratam sese abjicit crucem. Is enim cum cruce de solo erigitur, non in crucem. Ejusmodi locutiones crucem prius statutam fuisse indicant, tum in eam levatum cruciarium. At quomodo sine difficultate? Palus medio stipiti infixus & prominens id præstabat. In eo quippe statuebatur à carnificibus, quasi in sedili, cruciarius. Tum manus ipse suas extendebat & figendas præbebat. Ut dispessas manus ad antemnam utrinq; affigeret carnifex, inscendebat illum ipsum palum de medio exstantem. Frustra' oppones, Christi langventis gressus jam infirmiores non potuisse insultu assequi medium illud crucis πῆγμα. Quasi vero non possit aliquis infirmus & viribus defectus in eqvum levari ab aliquo robustiori. Impositos tanquam eqvulejo, ligno mediano cruciarios vulgo fuisse, loqvutiones istæ testantur, *in crucem levari*, *tolli*, *agi*, *erigi*. Nec Antiquitatis nos destituit auctoritas. Justinus Martyr post Apostolica tempora primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt; Τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, h. e. interprete Joh. Lango; *quod in medio fixum est, ut cornu & ipsum eminet, in quo vehuntur & insident, qui crucis supplicium subeunt.* Nicolaus Fullerus ita interpretatur; *Quod stipiti medio infixum est pegma, quasi cornu & ipsum prominulum existit, cui insistentes sustinentur, qui cruci adfiguntur.* Salmasius h. m. *Quod in medio impactum est, instar cornu & ipsum eminet, cui inequitant & quo vectantur, qui cruci affiguntur.* Justinum excipit Irenæus, qui *Ipse habitus crucis*, inquit, *fines & summitates habet quinq;, duos in longitudine, & duos in latitudine,*

In Dialogo cum Tryph.

libr. II, adv. Hæres. c. 46.

libr. II. adv. Nationes. *& unum in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur.* Irenæo succedit Tertullianus, qui, *Nobis*, inquit, *tota crux imputatur, cum antemna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu.* Intelligit excedens illud & eminens in medio crucis lignum. Sedile enim est in quo sedetur, non quod pedibus subjicitur. Advocari etiam potest Seneca, qui Mecœnatis recenset versus.

Debilem facito manu
Debilem pede, coxa;
Tuber adstrue gibberum;
Lubricos quate dentes
Vita dum superest, bene est
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Ep. CI. Eosque postea hoc modo explicat; *Suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdas, est tanti vulnus suum premere, & patibulo pendere districtum.* Acutam crucem appellat non acutum stipitem cruciario per obscœna actum, per os emergentem, ut censet Doctiss. Lipsius, sed suffixam in medio crucis stipite quasi alteram crucem, palum illum acutum, qui parte qua premebatur natibus residentis cruciarii acutus instar aciei cultri fiebat, ut exquisitissimos dolores sentiret crucifixus. Ex Recentioribus nobiscum sentiunt Ladulphus, (*a*) Forsterus, (*b*) Calixtus, (*c*) Salmasius, (*d*) Dilherrus, (*e*) & alii. Si quæras, quare cruces absq; isto sedili fuerint & olim & nunc expressæ? respondet D. Calixtus; *Constat crucem nonnisi duobus ductibus, atq; ita solas duas præcipuas partes, formari; sedilis autem, utpote partis, præ stipite & antenna exiguæ, & quasi superadditæ, rationem non haberi, nec haberi quidem commode, talibus & in eum modum inscriptis lineamentis, posse. Inde postmodo cruces non aliæ, quam quales digitis in aëre formatæ, ex materia fieri, & pluribus rebus adpingi, vel adponi cœperunt.*

In notis ad Senec. Epist.

(*a*) l. c.
(*b*) in homil. passional.
(*c*) de vera crucis form. p. V.
(*d*) in Epistolis de cruce.
(*e*) in crucifix. J. Chr. p. X.

De

De Fulcro *ſuppedaneo*, quod vocant, ſeu aſſerculō aut tabella, in quo pede uno prius inſiliiſſe dicitur cruciarius, ac deinde ei, altero etiam pede impoſito, inſtitiſſe, altum in antiquitate, præprimis ante Conſtantini Magni tempora, reperitur ſilentium. Primus ὑποπόδιον ſtatuiſſe creditur Gregorius quem Turonenſem vocant (*f*) Hunc ſecutus eſt Scaliger ὁμέγας. (*g*) At vero quem uſum habere potuerit illud pedum ſcabellum in cruce, non penetro. Certe ſuſtinendæ moli corporis nil quicquam fecit. Quò enim pedes recto ſtipiti arctius adplicantur, eò corpus prorſum ruere pronius. Pedes ſane, quamvis fulcro innitantur, tamen tabeſcentibus genibus, oneri confeſtim cedunt: quod crucifixis citius eveniſſet, tot cruciatibus antea enervatis. Nec verò pedes, pegmati ſuppedaneo affixi, prohibere potuerunt, ne manuum tendines rumperentur, & corpꝰ crucifixi procideret. Mihi ergo veroſimilius fit, nullum fuiſſe in cruce ὑποπόδιον, quod nullum ab Antiquitate memoratur, nullam cruciario utilitatem præſtitiſſe conſtat. Suppoſito ſedili exploſum maneto ſcabellum.

(f) *lib. 1. de glor. Mart. c. 6.*
(g) *Animadv ad Euſeb. p. 110.*

LV.

ALTITUDO CRUCIS.

Ex ſtipite arrectario metienda eſt *altitudo crucis*, quæ non uniusmodi ſemper erat. Non negamus, quaſdam cruces extra ordinem fuiſſe ſublimes, aliquando ad majus exemplum, aut ſtudio majoris crudelitatis, pro criminis etiam atrocitate, aut perſonæ odio, aut ad majorem cruciarii infamiam. *Improbum patibulum* vocat Salluſtius, hoc eſt, *excelſum*, ſicut dicimus *improbius natum* *l. IV. Hiſt.*

pro grandioris ſtaturæ homine, & *improbiora labra* ea quæ valde turgent, quomodo etiam *laborem improbum* dixit Maro. Ut de Hamane taceam, in crucem cubitorum qvinquaginta ſublato, de Regulo legitur apud Silium.

- - - - - *Vidi, cum robore pendens*
Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab alta.

Et de Hippolyto Martyre in Prudentio,

- - - - - *Crux iſtum tollat in auras.*

At vulgares nocentium cruces adeo humiles erant, ut pedes cruciarii à terra tribus ſolum vel quatuor pedibus abeſſent. Certe non adeo altas eas fuiſſe, vel id indicio eſt, quod crucifigendi illas corpore ſuo geſtare & perferre ad locum ſupplicii debebant. Plutarchus de ſera numinis vindicta; τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος ἐκφέρει τὸν ἑαυτοῦ σταυρόν. Præterea cum titulus ad caput crucifixi poneretur, omnibus legendus expoſitus, ſi nimis alta crux fuiſſet, de plano non potuiſſet legi. Nam λευκώματα, inquit Salmaſius, *non ſolebant grandioribus literis exarari, quam quæ poſſent non nimium excelſo loco poſitæ à prætereuntibus facilè cognoſci.* Certum quoque eſt, nulla ſcala admota impoſitos fuiſſe cruciarios illi ſedili, quod in medio ſtipite depactum erat: non potuit ergo eſſe nimium alta crux. De plano etiam cruciariis crura frangebant carnifices; quod indicio eſt, non alte ſuſpenſos fuiſſe. Conſtat denique ex Auctoribus, non altiores fuiſſe cruces vulgares, quam ut canes adſultantes cadaveri crucifixi potuerint eum laniare & viſcera ejus extrahere: Quo pertinet illud Apuleji; (a) *Et patibuli cruciatum, cum canes & vultures intima protraherent viſcera.* Catullus in Cominium; (b)

(a) libr. VI. Metamorph.
(b) Epigr. CIX.

Effos.

Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cætera membra lupi.

Dixeris, nisi sublimior fuisset crux, facile potuisse noctu cruciarium ab amicis auferri de cruce. Sed huic metui aliter mederi potuerunt, quam crucis altitudine. Custodia militaris adposita prohibere potuit, ne de cruce detraheretur cruciarius. Petronius; *Proxima ergo nocte cum miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.* Ægyptiis morem similem fuisse constat ex Plutarcho in Cleomene. Exinde vero humilitas potius quam altitudo crucis colligitur, quia detrahi facile corpora potuere, nisi militum custodia esset adposita, qui prohiberent. At, inquies, crucifixi tamen dicuntur *exaltati*, & cruces *altæ*. *Alta crux* dici potest, quæ hominis staturam vel minima mensura superat, *In equo sublimes*, celsos, *altos* equites sedere partim Poëtæ dicunt, cum tamen inter solum & pedes equitantis vix quinque pedum spatium intersit. Cothurni Tragici *alti* à Poëtis vocantur, cum quinq; digitis suppactum crassius solum haberent duntaxat, quam erant vulgares calcei. *Altos suspendi* vulgo dicimus suspendiosos, qui tamen non admodum elatis patibulis deligantur.

Sane crucem Salvatoris nostri haud sublimem, sed humilem fuisse certissime persvasus sum ex eo, quod hyssopo circumposita spongia & manu porrecta ad os ejus pervenire in cruce pendentis potuit. Bipedalis ad summum fuit hic frutex, cui pedem addidit manus elevata. Accedit, quod crucem ipse suam bajulasse dicitur. Si dixeris, ex tenuibus & subtilibus lignis compactam fuisse crucem grandem; sic sane portatu facilis fuerit, sed dubito an ipsa ferre suum cruciarium potuerit, &

 diu

diu conſervare ad exemplum pœnæ. Præterea quomodo in tam gracili ſtipite potuerit lignum medianum impingi, quo vectaretur cruciarius, nequaqum penetro. Nam illud ipſum lignum debuit eſſe tenuius illo, cui impactum defigebatur. At par ferendo corporis oneri non fuit ejusmodi ligni gracilitas, ut acute hac de re diſſerit
l. c. Miraculum illud noſtri ſeculi Salmaſius. Nec dimovet me ab hac ſententia, quod Dominus in cruce dicitur ὑψωθεὶς, *exaltatus* hinc inde à Patribus, Tertulliano, (*a*) Nazianzeno, (*b*) Lactantio (*c*) & aliis. Diximus ſupra, argumentum illud eſſe nihili. Addimus jam, Patres loqui hyperbolice, ad exaggerandum redemtionis noſtræ myſterium. Calor & Zelus nonnunquam eorum incitavit calamum. Nihilo plus obtinent, qui typum ſerpentis in deſerto erecti, omnibuq; qua patebat campus, conſpicui, urgent. Neceſſe enim non eſt, ut typus per omnia pariet cum ea re quam adumbrat. Quam notabilis, ecce! utriusque in alio capite differentia. Nemo à ſerpentum morſu liberabatur, niſi qui ſerpentem adſpexiſſet in ligno erecto ſtatutum: à morte vero liberantur infiniti, qui Chriſtum in cruce poſitum non viderunt.

(*a*) *l. II. adv. Marcion.*
(*b*) *Orat. I. Apolog.*
(*c*) *l. IV. de vera Sap. c. 26.*

LVI.

CRUCIFIXIO.

Pictorum vulgus Dominum latroneſque in crucem actos itâ expreſſit, quaſi funibus tantum alligati fuerint. Non facile abnuam, olim etiam funibus adligatos cruciarios. Apud Lucanum certè (ubi de maga Theſſala, cruciariorum reliquiis ad artes ſuas utente, ſermo eſt,)

lib. VI.
lib II. Onei. voc. c. 58.

de

de vinculorum ad ligatione verba ſunt aperta. Ex Artemidoro clarior res eſt. Quod fortaſſis anſam præbuit Hilario concurſum clavifixionis & alligationis ut ſtatueret. *lib. X. de Trin.* At illam non hanc in cruciariis ut plurimum obtinuiſſe, manifeſtò oſtendunt multa Veterum loca. Seneca; *Cùm refigere ſe crucibus conentur in quas unusquisque veſtrum clavos ipſe ſuos adegit.* *de vit. beat. c. XIX.* Horatius.

Si quis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus *lib. I. ſat. 3.*
Semeſos piſces, tepidumq; ligurierit jus
In cruce ſuffigat - - - - - - - - - - -

Non dicit *religet*, aut *revinciat*, ſed *ſuffigat*. Plinius; *lib XXVIII. c. 4.* *Nam in quartanis fragmentum clavi in cruce, involutum lanæ, collo ſubnectunt.* Apuleius; *Hic nares & digiti, illic carnoſi clavi pendentium.* Conf. Lipſius. *lib. I. Elect. c. 18.* Ipſum nomen, quo Græci utuntur, προσηλοῦν & Latini *crucifigere*, idem docet. Et quomodo mortui eſſent, niſi fortè longâ fame, ſi funibus tantum revincti pependiſſent, cruciarii? At nunc adactis per manus pedesvè clavis & venis nerviſque abruptis, defluente ingenti ſangvinis copiâ, incredibili cruciatu, eos intrà horas aliquot mori neceſſe erat. Quod ſi ſerius fieret, effringebantur eis crura ad accelerandam mortem.

LVII.

ELOGIUM DAMNATORUM.

Chriſto de cruce pendente, Pilatus in tabella ſcribi juſſit cauſam ſupplicii hanc, quaſi foret læſæ Majeſtatis reus, eamq; capiti affigi. Johannes *XIX, 19.* Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Syrus & Arabs vertunt לוחא, *tabulam, aſſerem.* Τίτλος ergo non eſt ipſa inſcri-

inſcriptio, ſed id quod eam exhibet. Heſychius, Τίτλος, πτυχίον ἐπίγραμμα ἔχον *codicillus inſcriptionem continens.* γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα dixit Dio Caſſius. Πίνακα Euſebius, ubi de Attalo agit. Brevibus verbis cauſa ſupplicii indicari ſolebat ſcripto, aut præconis voce. Scripto, ut apud Svetonium; *Impie locutus Parmularius.* Et apud Euſebium; οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός. Voce præconis, ut apud Diodorum Siculum; *Legatum populi Romani homo plebejus temere amplecti noli.* Apud Lampridium; *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Poſterius hoc etiam fuiſſe moris Judaici, auctor eſt Majmonides à Caſaubono citatus. Nimirum præcedebat præcoreum ad ſupplicium ducendum, & hæc dicebat verba; ILLE EXIT OCCIDENDUS MORTE ILLA. QVIA TRANSGRESSUS EST TRANSGRESSIONE ILLA, IN LOCO ILLO, TEMPORE ILLO. ET SUNT EJUS REI TESTES ILLE ET ILLE. QVI NOVERIT ALIQVID AD EJUS INNOCENTIAM PROBANDAM, VENIAT ET LOQVATUR PRO EO.

Exerc. XVI. n. 86.

Apud Romanos Tabulæ damnatoriæ ab ipſo Judice conſcribi ſolitæ plerumque præferebantur ante damnatum cum ad ſupplicium duceretur, nonnunquam apponi ipſi ſolebant, vel in fronte vel in dorſo. Cruciariis in cruce non admodum alta ad ipſum caput affigebantur. Nicephorus eam tabellam ſupra caput Domini crucifixi fuiſſe poſitam ait ἐν εἴδει στήλης, quod perperam reddidit Interpres, *in morem columnæ.* Στήλη Græcis dicitur quilibet Titulus. Vult tamen hac voce Calliſtus, tabellam hanc non tranſverſam poſitam fuiſſe, ſed erectam adinſtar στήλης, ut Tituli ſepulcrorum collocari ſolebant, non autem

CLXI.'

Heinsius vult, tabellam Dominicæ cruci impositam cælatam fuisse, ut ductus in ea literarum eminerent è plana superficie, non introrsum cederent. At tantæ auctoritatis non est, ut hoc nobis persvadeat, qvi credimus titulum hunc more Romano scriptum, qvandoqvidem à Pilato scriptus dicitur. Romanis verò operosam hanc nimis scribendi rationem usurpatam fuisse ex nullo auctore probari potest. Præterea ex Historia Evangelica constat, Pontifices Judæorum mutari voluisse à Pilato hanc scripturam. At dies profecto aliquot transissent, priusqvam tabula cum inscriptione illa trilingui eo modo, qvo ipsam Heinsius cælatam exhibet, fuisset adornata. Λεύκωμα eam vocat Sozomenus, & Nizephorus λευκὴν σανίδα, *tabulam dealbatam*, vel cerussa, vel gypso, vel creta, quæ literis ex encausto, seu atramento, id est, nigris exarabatur. Hesychius; Σανὶς λευκὴ, λεύκωμα ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τοὺς κακούργους. Τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ σταυροῦ. Latini *Album* vocant, qvod Græci λεύκωμα. Unde *Album Prætoris*, *Album curiæ* in jure; *adscribi albo judicum*, & *eradi albo judicum* apud Svetonium. Fuisse ejusmodi tabulas albas nigris notatas literis apud Romanos valde freqventes, ex Dione & aliis fuse probat Cl. Salmasius, cui pleraqve hæc debemus.

LVIII.

TITULUS TRIPICTUS.

TItulum Dominicæ crucis *tripictum* ideo appellat Prudentius, qvia terpictus seu scriptus, litera Græca, Hebraica & Latina:

CLXII.

Pilatus jubet ignorans, I scriba, tripictis
Digere versiculis - - - -

Tribus autem lingvis adscriptus fuit titulus ex usu prisco, qvo insigniora qvævis, qvorum notitiam latiùs diffundi cupiebant, diversis lingvis scribi curabant. Ita
In Melp. de Dario Europam ingresso Herodotus; *Contemplatus item Bosphorum, duos super eum cippos erexit, è candido lapide, literis incisis, unum qvidem Assyriis, alterum verò Græcis.* Scriptus hic titulus lingvis, Hebræa ob locum in qvo supplicium sumebatur; Græca, quia hæc maxime familiaris esset Orienti, ex qvo Alexander Magnus eum subegisset, & Seleucidæ imperium illic tenuissent; Latina, ob majestatem imperii Romani, qvia Judæa & Syria reliqva in Romanorum foret potestate, ex qvo Tigranem vicerat Pompejus. *Divinitus*, inqvit
lib. XII. in Cyrillus, *ut ego puto, factum est, ut trium lingvarum, qvæ*
Joh. c. 29. *præcipuæ sunt, literis scriptus titulus fuerit: omnium enim gentium regnum Christo attributum esse significavit.* Ex-
in Luc. c. XXIII. presſiùs Theophylactus; *Hoc Symbolum fuit, qvod potentissimi gentium Romani, & sapientissimi Græci, & religiosissimi Hebræi regno Christi subjiciendi essent.* Ordine dialecti hi tres plane diverso ab Evangelistis recensentur. Lucas primo nominat Græcam, deinde Latinam, ultimo Hebræam. Johannes Hebræam Græcæ, & Græcam Latinæ præfert. Baronius ex eo, qvod apud Johannem Latina lingva extremo loco collocatur, excellentiam ejus probare conatur. In qvo immane qvantum errat. Theatra, Triumphos & Convivia movet Baronius. Quos motus, nisi me ratio fugit mea, felicissime
c. I. sedat Casaubonus. Longe aliter statuendum de Ordine harum Linguarum. Nempe Johannes retinet ordinem

cum

eum, qvo Lingvæ istæ in Judæa fuerunt usurpatæ. Sermo vernaculus erat Hebræus, Græci victores Græcam, Romani Romanam introduxere. At Lucas attendit ordinem Pilati vel ministrorum, qvi primum locum genti dedere, qvæ prius vicisset Judæos; secundum, qvæ secundo subegisset; postremum genti bis subactæ, qvod observat Cl. Vossius, qvi, *Cui hæ causæ non placent*, addit, *dicat, eo diverso ordine usos Evangelistas, qvia de ordine non laborarent, sed sufficeret iis, dicere de tribus linguis qvæ tum in usu essent: ac, neglectu ordinis, ostendisse, neqve nos de ordine curiosos esse oportere.* Harm. Evang. l. II c. 8. §. 7. & 8.

Cœterum cur moriens Regis nomen admiserit Christus, qvod vivens recusârat, eleganter exponit Beda his verbis; *Qui aptè etiam, qvoniam Rex simul & Pontifex est, cum eximiam patri suæ carnis hostiam in altari crucis offerret, Regis qvoq;, quâ præditus erat, dignitatem titulo prætendit, ut cunctis legere, h. e. audire & credere volentibus insinuaret, qvod per crucis patibulum non perdiderit suum, sed confirmarit potiùs & corroborârit imperium.* lib. IV. in Marc.

LIX.

VESTES CHRISTI.

Johannes *c. XIX*, 23. nominat τὰ ἱμάτια, numero multitudinis. Hinc qvæstio orta inter doctos, de numero vestium Christi. Quinqve alii, alii tres tutati sunt, solo numero pluralitatis apud Johannem posito seducti. Certe frugalitatis amans antiqvitas in communi usu vestem omnem præter duas ignorabat. Exterior erat, qvam Hebræi מעיל, Græci ἱμάτιον seu *pallium*, Latini *togam* appellabant. Interior Hebræis dicebatur

batur כתונת, Græcis *χιτὼν*, Latinis *tunica*. Qvemad-
modum Græci pallio unico, Romani toga unica ute-
bantur, non pluribus; ſic Judæos unicam veſtem exte-
riorem geſtaſſe indubitatum eſt. Plurale apud Evange-
liſtam per ſyllepſin pro ſingulari ponitur. Exemplis res
fiet clara. Marc. V.27. mulier *αἱμοῤῥοοῦσα* dicitur tetigiſſe
τὸ ἱμάτιον Domini, veſtem ſcilicet exteriorem, qvæ reli-
quas tegebat. Atqvi *verſ.30.* dicit Chriſtus; *Τίς μου ἥψα-
το τῶν ἱματίων*. Ubi *ἱμάτια* vocat Dominus pallium ſuum,
& plurale uſurpat pro ſingulari. Conf. Matth. *XXVI, 65.*
& Joh. *XIII*, 4. Unde Poeta elegantiſſimus Nonnus e-
andem cum Johanne ſententiam numero non eodem
exprimit

Θεσπεσίῃ ἐσθῆτι θεηγενέος βασιλῆος
Ἱστάμενοι δάσαντο

Inter Veſtimenta Salvatoris erat *Tunica inconſutilis*, o-
pus, non è celo miſſum, aut ab Angelis confectum, ut
in lib. I. Reg. ex voce *deſuper* nonnemo contendit apud Mendozam,
c. II, n. 19. ſed manuum Virginis *θεοτόκου*, ut Baronius & ex eo Ca-
ſaubonus ſuſpicantur, qvod adſertum ab Evthymio, ceu
ad Matth. ex traditione Patrum haut eqvidem abſolutè rejicimus,
XXVII. minimè tamen Ludolphi nimis audacem admittimus
conjecturam, qvod eam à pueritiâ geſtaverit, ita ut ipſo
lib. II. de V. naturaliter creſcente ea qvoqve per miraculum ſemper
C. c. 63. aucta fuerit. Certiſſimum eſt B. Matrem Domini non
ejus fuiſſe conditionis in mundo, ut à lanificio debuerit
abhorrere, præſertim cum moris olim eſſet, ut linum
& lanam pari loco haberet ſeqvior ſexus, & utriusq; tra-
ctationi æqvè indulgerent matronæ etiam nobiliſſimæ,
adeò ut etiam potuerit Dominus veſtem illam nanciſci
ab aliqva ditiorum illarum mulierum, qvæ ipſum ex
Galilæ-

Galilæa secutæ ei de necessariis prospicere solebant, ut sentit & loqvitur Cl. Maresius. Fuit autem vestis apta membris & adstricta corpori, manuleata etiam, sed strictis manicis, ut erant in tunicis sacerdotalibus. Johanni vocatur ἄῤῥαφος, qvæ vox qvid notet, valde controversum est inter eruditos. Veterum sententias refert & perstringit Casaubonus. (a) Ex recentioribus Magnus Salmasius (b) sentit, tunicarum alias apertas seu χιτῶς, alias ἀῤῥάφυς fuisse, qvæ ex toto tectæ ac conclusæ nulla parte sutiles scissilesq; essent, ut sunt camisiæ & interulæ nostræ laneæ vel lineæ. Tunicas apertas ex utraque parte in humeris fibulis stringi consvevisse, qvas fibulas ῥαφὰς & ῥαφίδυς dicerent, i. e. suturas; tunicas autem conclusas, quia fibulis opus non haberent, ἀῤῥάφυς dictas; tales esse camisias nostras laneas vel lineas, qvæ licet consutæ sarcinatricis acu dicantur, nihil tamen prohibere qvin inconsutiles sint, nam acum sarcinatricis idem facere qvod pecten textoris, qvod nempe & acu texere veteres dixerunt, &c. Sed, quod pace Viri dixerim, qvo minus assentiar multa sunt qvæ vetant. Primo qvidem nimis durum est eandem tunicam & inconsutilem & acu consutam dicere. Deinde nondum probatum est fibulas ῥαφὰς dictas esse & *suturas*, qvod suturæ loco essent. Præterea, si verum est, qvod Vir Magnus dicit, interulas quasvis tam apud Romanos, qvam apud Græcos, consutas acu fuisse, nullisqve fibulis constrictas, qvod corpori pressæ & ad frigus arcendum velandumqve corpus essent clausæ, atqve ita omnes inconsutiles fuisse: quid opus erat ejusmodi tunicam Christi peculiariter describere, cum tunicæ communes tales essent? qvod tamen

Dissert. de Tun. Chr. inconf. §. 8. & 9.

(a) Exerc: XVI. n. 84.

(b) Not. in Vopiscum p. 402.

à Johanne factum, cæcutit qvi non videt. Imò ἄρραφον fuisse Domini tunicam aperte tradit Evangelista *desuper contextam per totum*, id est, non acu aut sutura junctam. Quæ omnia cogunt me cum Vulgo credere, tunicam illam inconsutilem vere fuisse inconsutam, id est, sarcinatoris acu minime, nullaq; in parte consutam. De Texturæ opere præclara multa habent Viri Doctissimi, Casaubonus & Ferrarius. Mihi sane vix fit verosimile, artificium subuculas, qvæ apud nos sericæ vel laneæ, totas simul texendi non qvidem pectine & in tela, sed per acus longiores reticulatim conficiendi, priscis illis temporibus fuisse cognitum. At sine acu solis manibus sursum versus contextam, qualia nunc reticula & muliebres calanticæ fiunt, fuisse tunicam Dominicam non negaverim. Dicitur enim à Johanne, qvod fuerit ἐκ τοῦ ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου, *desuper contexta per totum*, h. e. sursum versus contexta in orbem. Eleganter Nonnus;

- - - - - - καὶ αἰγλήεντα χιτῶνα
ὅστις ὅλος καὶ ὕπερθεν ὁμοῦ καὶ ἔνερθε φορῆος
ἄρραφος ἦεν ὑφαντὸς, ἀπ' αὐχένος εἰς σφυρὰ λήγων

Idem bis dicit Nonnus; *à superiore pariter & inferiore parte*: & rursus, *à cervice ad talos gestantis*. Tales fuere *vestes rectæ, qvas patres*, ut ait Festus, *liberis suis conficiendas curabant ominis causa, sic dictas, qvod in altitudinem sursum versus, & à stantibus texerentur*. Confirmat me in hac sententia Josephus Scaliger, Vir πάνσοφος, qvi, *Recte*, inqvit, *tunica describitur in Evangelio*, χιτὼν ἄρραφος ἐκ τοῦ ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Græci Scriptores* ὀρθοστάδιον χιτῶνα *vocant*. Fuisse vestem vulgarem, docet Isidorus Pelusiota his verbis; Τὶς ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τοῦ ἐσθῆτος ἐκείνης, ἥπερ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν Γαλιλαίων, καθ' ὃ καὶ μάλιστα

In Festum ad dim. Recte.

τὸ

τὸ τοιοῦτο φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, ὡς αἱ στηθοδεσμίδες ἀνάκρουσον ὑφαινόμενον, hoc est, interprete Ferrario; *Quis vestis illius vilitatem ignorat, ut qua Galilæorum pauperes utantur? Apud eos enim maxime hujusmodi vestis genus fieri solet, ut pectoralia, sursum versus contextum.* Cui sententiæ proni favemus, qvi mente recolimus illud Salvatoris; *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* lib. I. Epist. 74.

LX.

VESTIUM CHRISTI DIVISIO

Promovemur ad partitionem Vestium, ingens illud ignominiæ genus, qvo milites, Servatore prorsum nudo in cruce relicto, eodem vivente ac vidente vestes ejus dividunt. Veniebat illa ex more Romano. Milites enim supplicii exactores sontium spolia sibi vindicabant, qvod Adrianus Imperator vetuit fieri nisi Præsidum jussu; *Pannicularia*, inqvit, *sunt ea, qvæ in custodiam receptus secum abstulit: spolia qvibus indutus est, cum qvis ad supplicium ducitur, ut & ipsa appellatio ostendit. Ista neqve speculatores ultro sibi vindicent, neqve optione ea desiderent quibus spoliatur qvo momento qvis punitus est.*

Divisuri milites vestem Dominicam exteriorem, in *qvatuor* eam *partes* distribuunt. Nimirum, constabat illa vestis è qvatuor pannis, conjunctis inter se totidem suturis, qvibus singulæ additæ erant institæ, ut apparet ex Deut. *XXII.* Eam ob causam passim Græcis πτερύγωνον ἱμάτιον appellatur. Fortassis etiam quaterni fuerunt milites, qvorum opera Christus crucifixus est, ut sic unicuiq; sua foret portio. Si qvid mysterii in hac distributione, non negaverim, significari unam Ecclesiam Christi per qvatuor mundi partes diffusam, Qvæ

Cipria-

de unit. Eccl.- Tract. 118. in Joh.

Cypriani qvoqve, Augustini, Veterumqve fere omnium fuit sententia. *Quadripartita*, inqvit Augustinus *vestis Domini JESU CHRISTI qvadripartitam figuravit ejus ecclesiam, toto terrarum orbe, qvi qvatuor partibus constat, diffusam, & omnibus ejusdem partibus concorditer distributam.*

Sic distributo pallio adjicitur tunica inconsutilis, & sorti committitur eventus. Factum & id qvoqve ex usu militum, qvo, sicut prædas bellicas, sic cujusvis generis spolia dividenda sorti committebant. Plutarchus de militibus Tigranis; *Paucitatem exercitus Luculli contemnentes, & jam sibi certam victoriam promittentes, super Romana spolia, qvasi jam parta essent, miserunt sortem.* Nonnus & Arabs sorti non tunicam inconsutam solum, sed & pallium objiciunt, qvod magno errore factum existimant Casaubonus & Maresius, primò, qvia Johannes sortitionem illam non commemorat; Deinde, qvia sortitione illa non opus erat. Tunc enim sorti res permittitur, cum non ita æqvari partes potuerunt, ut non sit una optabilior qvam alia, qvale incommodum in pallii incisione facillimum fuit vitare: deniqve, qvia sortitio de altera tantum veste facienda erat prædicta in Ps. *XXII.* At non possum Viris Magnis assentiri, qvia Matthæus, Marcus & Lucas, nulla tunicæ mentione facta, expresse dicunt, jecisse milites sortem ἐπ' αὐτὰ, super ea, sc. vestimenta. Nec satisfacit mihi, qvod Viri Clariss. regerunt, ἐπ' αὐτὰ poni pro ἐφ' ἓν αὐτῶν, figura qvæ κοινότης Rhetoribus, *Syllepsis* Theologis dicitur. Figuram istam locum hic nullum habere, apparet ex iis qvæ Marcus addit. τίς τί ἄρῃ, *qvis qvid tolleret. Controversia*, recte inqvit Cl. Dieu, *non erat, qvis*

qvis aliqvid tolleret, sed qvid qvisq;: non ergo de una tunica, sed de pluribus vestibus lis erat, qvæ sortitione dirimi debuit. A Johannis silentio ad rei negationem frustrà argumentantur Viri Doctiss. Noluit Johannes eandem cramben bis coqvere, sed qvod reliqvi Evangelistæ expresserant omisit, qvod illi de tunica inconsuta omiserant, expressit. Nec stringit, qvod afferunt Viri Clariss. non opus fuisse illa sortitione. Elegerunt sortem etiam circa pallii partes milites, vel quod raro tam æqvalis partium fieri possit divisio, qvin una earum reliqvis sit præstabilior; vel quod ludibrii causa etiam de fragmentis sorte experiri voluerint, ut tempus fallerent custodiæ destinatum, ac Christo ægrius facerent. Ad locum Ps. *XXII.* qvod attinet, לבוש est nomen generale complectens omnes vestes, sicut etiam ἱματισμός. qvam vocem ex LXX retinent Evangelistæ. Vid. Act. *XX*, 33.

LXI.

MOTIO CAPITIS.

Servatorem jam cruci affixum sannis excipiunt ac convitiis prætereuntes, ut qvi capita qvassant, dicentes, *Vah, qui destruis templum Dei &c. Matth. XXVII, 39.* Quod Physiognomi dicunt, totum hominem in oculis esse, & totum animum in facie, non immeritò de capite etiam dici potest, cujus versatio variusqve motus internos animi motus mirum in modum prodit. Quintilianus, *lib. 2. c. 3.* de pronuntiatione disserens, *Præcipuum*, inqvit, *in actione, sicut in corpore ipso, caput est: nam & dejecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato langvor, & præduro ac rigente barbaria qvædam mentis ostenditur.* Ergò cum affectu qvopiam movemur corde, commove-

mur etiam capite; si vehementer aliquid placuisse significare velimus, annuimus toto capite, aut in utramqve aurem, clausis oculis, sublata facie, molliter versamus: renuimus versando caput, comprimendo labia, contrahendo supercilia: admiramur agitando & erigendo subinde caput, apertis oculis: subsannamus, oculis, labiis, barbâ & toto capite malignè agitato: commiseremur & compatimur contorto capite atqve demisso. Hoc loco capitis motio *contemtus* signum est, uti & *II. Reg. XIX, 21. Job. XVI, 4. Ps. XXII, 8. XLIV, 15. CIX, 25. Jer. XVIII, 16. Thren. II, 15.*

Qvi *subsannandi* hic usurpant vocabulum, admodum mihi probantur. Nam inter alios irridendi modos qvæ *Sanna* propriè dicitur, gestu aliqvo mimico exprimit id, qvod vult objicere ei quem ridet. Tria earum genera notavit Persius;

Satyr. I.

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingvæ, qvantum sitiat canis Apula, tantæ.

Primum sannarum genus est, manu ciconiam significare, s. digitos rostri in modum ciconini cogere. Nam *pinsere* est avium, dum rostrum alicui rei crebrò impingunt, ab antiqvo, ut vult Lubinus, verbo *pindo*, i. e. ferio. Secundum genus est, opposito temporibus pollice auriculas asininas effingere. Certè notatione *mobilis* significat asini aures ex motu manus, hominis enim aures sunt immobiles. Deinde asini aures interius *albæ* sunt. Tales ergò manus capiti applicatæ movebantur aurium instar asininarum in eos, qvos asinos esse significabant, s. stupidos & bardos. Tertium genus est, lingvam exsectare instar sitientis canis. *Apulia* regio est ca-

lidis-

ſidiſſima, undè *ſiticuloſa* dicitur Horatio. Qvantùm canis ſitiens lingvam oſtendit, tantæ etiam ſunt ardelionum lingvæ & irriſorum. Apud Hieronymum qvoqve tria hæc invenias ſannarum genera, qvi ad Ruſticum Monachum, *Ciconiarum deprehendes poſt te colla curvari, aut manu aures agitari aſini, aut æſtuantis canis protendi lingvam.*

In Servatore noſtro omnia hæc impleta. De eo Lucas, qvod *naſo* fuerit qvaſi *ſuſpenſus.* Ἐκμυκτηρίζειν eſt *c. XXIII, 35.* qvod eſt ciconiam pinſere, cum corrugatis naribus index digitus crebrâ motione in alium dirigitur. Quod Matthæus habet de motione capitum ad auriculas pertinet aſininas. Quod in *Pſ. XXII.* de labiorum diſtenſione conqveritur Dominus, ad exſertationem lingvæ non abſurdè referas.

Motionem capitis iræ qvoqve & horroris ſignum fuiſſe ex illo apparet Maronis, *l. VII. Æneid.*

Tum qvaſſans caput hæc effudit pectore dicta,
O ſtirpem inviſam! - - - - -

LXII.

LATRONES BLASPHEMANTES.

Latrones una cum Domino crucifixos ipſi illuſiſſe, narrant Matthæus & Marcus. Sed Lucas de uno id refert. Communis fere Antiquitatis conſenſus eſt, prius ambos eſſe convitiatos, poſtea alterum reſipuiſſe. Ita Origenes, (*a*) Athanaſius, (*b*) Ambroſius, (*c*) Hieronymus, (*d*) Chryſoſthomus, (*e*) Proſper, (*f*) Titus Boſtrenſis, (*g*) Theophylactus, Evthymius, (*h*) & alii. Fere convenit,

(*a*) *Tract. XXXV. in Matth.*
(*b*) *Serm. de Paßione.*
(*c*) *libr. X. in Lucam.*
(*d*) *in cap. XXVII. Matt.*
(*e*) *Homil. LXXXIIX. in Matth.*
(*f*) *cont. Caßianum. cap. XIV.*
(*g*) *in Luc. cap. XXII.*
(*h*) *in h. l.*

qvod Beza notat in Lucam; *Verisimile est alterum ex latronibus saltem silentio suo aliquandiu visum alteri convitiatori consentire, donec victus adversariorum Christi extrema improbitate, qui semimortuum, & non modo ad hæc omnia nihil responsantem, sed etiam pro ipsis orantem, exagitare non desinebant, in præclaram & sempiterna memoria dignam confessionem erumperet.* At in notis ad Matthæum idem Vir Doctiss. vult, esse dicendi genus è medio petitum & omnibus usitatum, quo indefinite dicitur, quod singulis minime convenit; quemadmodum dicitur lapis anguli rejectus ab architectis, non tamen, sine exceptione, singulis. Idem censet Cl. Spanhemius, (*a*) qui & Epiphanii sese suffulcit auctoritate, cujus verba sunt; Εἰώθαμεν γὰρ τὰ ἑνικὰ πληθυντικὰ λέγειν, καὶ τὰ πληθυντικὰ ἑνικά. Φάσκομεν γὰρ, ὅτι διηγησάμεθα ὑμῖν, καὶ ἑωράκαμεν ὑμᾶς, καὶ ἥκομεν πρὸς ὑμᾶς. καὶ οὐ δύο οἱ λέγοντες, ἀλλὰ εἷς ὁ παρών. ὁ δὲ εἷς κατὰ τὴν συνήθειαν τῆς χρήσεως ἐκ προσώπου πολλῶν πληθυντικῶς διηγεῖται, οὕτω πληθυντικῶς περιείληφεν ἡ τοῦ Εὐαγγελίου ὑπόθεσις, hoc est, ex versione Petavii; *Solemus enim singularia nonnunquam numero multitudinis efferre, & contra pluralia singulari: velut cum dicimus*; narravimus vobis, & vidimus vos, & venimus ad vos, *cum interim non plures sint, sed unus duntaxat qui loquitur, verum unus communi loquendi consvetudine ex plurium persona sermonem instituit. Sic ab uno Evangelista pluralis usurpatus est numerus, &c.* Nec aliter H. Grotius, qui, *Quia nominari eos hoc loco nihil attinebat, satis erat*, inquit, πληθυντικῶς *rem efferri.* Vide plura de hoc loquendi genere in Disp. nostr. *I. ad Ps. I.* Addo hoc loco, non plane alienum esse, qnod notat Cl. Montacutius, pluralem hunc numerum non personas proprie indicare, sed qualitatem personarum, ac si dicerent Matthæus

(*a*) Dub. Evang. part. II. dub. 85. n. 2.
(*b*) Hæres. LXVI, §. 41.

& Mar

& Marcus; à quovis hominum genere Christum fuisse illusum, Sacerdotum, Scribarum, Seniorum populi; imo, quod indignissimum erat, latronum eidem supplicio expositorum: nec indicare hoc, an multi, an pauci fuerint, sed saltem quod fuerint. Ejusmodi loquendi modus apud omnes usitatus est, ut si dicam: Nulli homines jam vivunt, qui me à Christo abstrahent, nec Laici, nec Clerici, nec Episcopi, nec Principes, nec Imperatores, nec Papæ; non indico hac ratione, vivere jam plures aut Imperatores, aut Papas.

LXIII.

LATRO CONVERSUS.

De Latrone hoc multi multa sed fere ἄλογα & incerta. Nomen illi attribuit *Dimas* Gaufridus Vindocinensis. (*a*) Quædam sacella cum hoc nomine sancto huic latroni fuisse erecta, apud Baronium (*b*) etiam legas. In nonnullis etiam libris, sed fere obscuris scriptoribus, nuncupatur *Dismas*, imo & *Gisma*, *Gesma*, *Gesta*: sive id factum sit errore librarii, sive quod pro variis terris varie id nomen corruperint, ut in incertis fieri solet. Fuisse latronem hunc hominem gentilem Chrysostomo (*c*) creditum est. Rectius Evthymius censet, fuisse Judæum, propterea quod crederet Christum esse promissum Messiam. Incerta valde sunt, quæ de ipso produnt Chrysostomus, (*d*) Evlogius (*e*) & Cosmas Hierosolymitanus, (*f*) quod solitus sit noctu insidias struere, ac multis fuerit homicidiis infamis: quod item ab annis amplius 30. latrocinatus fuerit, imo Jesum interceperit in via cum Maria & Josepho in Ægyptum profugum. Potuit fortasse

(*a*) *Serm. X.*
(*b*) *in Martyrolog. Rom. ad VIII. Kal. Apr.*
(*c*) *Serm. VII additit. in Genes.*
(*d*) *Homil. LV. in Genes.*
(*e*) *in Apolog*
(*f*) *in Can. de exalt. Crucis ad 7.*

fortasse bene vitam composuisse, sed ob unum insigne facinus addici cruci; quo inclinat Innocentius III. (g)

(g) Serm. I. de convers. S. Pauli.

Certissimum id est, egisse pœnitentiam hunc latronem in cruce. Corde dolet, & ore confitetur, idque libere ac publice. Credit Christum, quem cruci affixum videt, Redemptorem mundi esse & Regem alterius vitæ. Ex cruce advocatum Christi agit ab omnibus deserti. Orat à Christo salutem, non mundanam, sed celestem. Orat modeste, nec sine spe. Caritatem demonstrat, dum Christi innocentis dolore movetur, dum socium blasphemantem increpat. Crucem patienter fert, non blasphemat, non replet aërem querelis, sed digna factis recipere se testatur. Æternam salutem, non liberationem temporalem efflagitat in tantis positus malis. Ecce Latronem Theologum! Apage vero Theologum latronem, quem quisque videat ne in se reperiat!

LXIV.

LATRONIS CONVERSI SUSPIRIUM.

Μνήσθητί μȣ, inquit, κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σȣ *Luc. XXIII, 42.* Verissimum est, quod Pricæus notat, hujusmodi blandis compellationibus solitos sibi conciliare alios, qui obventuras iis res prosperas viderentur prævidere sibi. In sacris habes exempla Josephi *Gen. XL, 14.* Saulis *I. Reg. XXIV, 21. 22.* atque Abigailis, *c. XXV, 31.*
Libr. XXXIV Idem reperias apud profanos. In Excerptis Diodori Siculi; Καὶ τινες αὐτῶν ἀπὸ τραπέζης ἀξιολόγȣς μερίδας αἴροντες, ἐδωροῦντο, ὅπως ὅταν γένηται βασιλεὺς, τῆς χάριτος μνημονεύοι.
Andr. Sic apud Terentium ille,

--- Me

CLXXV.

--- --- *Me in secundis respice.*

Latro in cruce suâ regnũ Domini mente conspexit, quod in convivio Christi Judas videre non potuit, præclare inquit Ambrosius. Regnum Dei, non Purgatorium, quod qui verbis hisce stabilire satagunt, frustrà laborant. *At profectò non dixisset, CUM VENERIS IN REGNUM TUUM, nisi credidisset in altera vita Christum posse sibi remittere peccata: alioqui petiuisset potiùs, ut sui meminisset, antequam moretur*, ait Maldonatus. Quasi verò Latro dum petit, ut sui in regno, quod mox esset aditurus, meminisse velit Dominus, nõ simul & veniam peccatorum in hâc sibi vita concedi oret. Audiatur ipse ex Pontificiis Estius; *Cur non prius veniam rogavit, quam regnum peteret? an venia etiam in his verbis includitur? Non enim dicit, admitte me in regnum tuum; sed memento mei: in quo & venia, & justificatio & salus includitur.* Sed ponamus, crediderit latro, remissionem peccatorum etiam post hanc vitam habere locum; undè probabit Maldonatus teneri nos idem credere? certe nostram fidem à fide latronis, qui Apostolus non fuit, nullibi suspendit Christus, Et quæ, DEUM immortalem! consequentia; Peccata quædam post mortem condonantur, E. datur Purgatorium? Græci, qui aliquam post mortem admittunt remissionem, Purgatorium dari constantissimè negant. Quid enim, si cum Augustino dicant, in die pancritico quibusdam peccata remissum iri? *in annot. ad diff. sc. loca*

Cyrillus Hierosolymitanus acutã hic comminiscitur distinctionem, quando, *Memento*, inquit, *orat latro, mei Domine, non dico ut operum meorum memineris, hæc enim metuo; sed mei, qui homo sum, creatura tua, tuumque delitium.* *Catech. XIII*

XLV. ACE-

LXV.

ACETUM REFOCILLATORIUM.

Christo clamante se sitire, adstantium unus accurrit, spongiamque aceto immersam in sublime elevat, ut inde Dominus liquorem exsugeret. Jansenius, Vir alioquin Eruditissimus, Acetum hoc porrectum existimat ad sistendum sangvinem ex vulneribus defluentem. Eundem usum habere spongiam probat ex Plinio. (a) Idem illud magna molitione conatur adstruere Baronius. (b) At si hoc esset, utique non ori, sed manibus & pedibus, unde sangvis manabat, admotum fuisset acetum. Quanta vero audacia est, divina oracula, quæ Christum sitientem aceto hoc potandum fore prædixerant, à genuino suo sensu in alienum torquere velle! Inesse aceto & spongiæ vim sistendi sanguinis non equidem negamus. At in hunc usum aliquod horum adhibitum hoc loco, falsissimum esse ipsa ratio evincit. *Quis fando unquam audivit*, inquit Cl. Casaubonus, (c) optime de publico meritus, *acetum potu haustum posse sanginem sistere, qui ex vulnere accepto fluat? quis credat spongiam pro vehiculo liquoris usurpatam, & ad sugendum ori admotam simile quid præstandi vim habere?*

Alia mens est Hieronymo, qui tradit acetum eo Christo præbitum, ut eum consopiret, seu ut mortem misero acceleraret, quo pertinet, quod de M. Antonio Triumviro narrat Plutarchus, ei, ut ex vulnere, quod sibi inflixerat, citius moreretur, datum fuisse acetum. Verum *hæc sententia eo refellitur*, inquit Doctiss. Vossius, (d) Vir qui scibile discutit omne, *quod datum hoc ab iis, qui*

(a) libr. XXXI. c. II.

(b) ad Ann. XXXI. n. 124

(c) Exert. XVI, n. 87.

(d) Harm. Evang. l. II. c. VIII. §. 23.

videre volebant, utrum Elias illi esset opem laturus. Voluere igitur eum aceto reficere, quo vita prorogaretur, donec Elias adventaret. Refocillandi gratia datum esse hoc acetum Domino, communis fere Eruditorum est sententia. Nimirum odore solo acetum in lipothymia fugientem animam refocillat. Eo ipso aspidum veneno obsistit, ut ait Plinius; (e) *Ab aspide calcata percussus utrem aceti ferens, quoties deposuisset sentiebat ictum, alias illæso similis.* Hinc non dubito morem fuisse, ut cruciariis sub patibulo præsto esset vas aceti cum spongia & calamo aliquo, quo deficiens illorum spiritus subinde revocaretur, ne cita morte finirent supplicium, inter cætera vel ideo dirissimum, quia tam lentum, ut malefici se mori sentirent.

(e) l. XIV. H. n. c. 10.

Ramirez existimat, milites Romanos acetum hoc sibi, ut potarent, detulisse; obtulisse posteà sitienti Domino vilissimum poculum, ne inhumanitatis arguerentur. Solitos verò milites Romanos *aceto* ad potum uti, aut saltim *poscâ* seu aqua permixto ex mille constat Auctoribus. Vulcatius; *Præter laridum ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione quidquam portare prohibuit.* Spartianus; *Jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos.* Quin duces ipsi, ut se gratiosiores militibus suis commilitones exhiberent, spreto sæpiusculè vino, eodem aceti potu utebantur. Plutarchus de Catone Censorino; ὕδωρ δ' ἔπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε διψήσας περιφλεγῶς ὄξος ᾔτησεν, *aquam in exercitu bibebat, præterquam si acri siti & vehementi calore æstuans acetum posceret.* Pauperes, etiam extrà militiam, aceto pro potu usos ex Theocrito, Plauto, Juvenali, Persio fusiùs probat Serarius, & Lipsius servis hunc potum ordinarium fuisse docet.

Spicil. sacr. Tract. I, c. 45.

in Avidio.

in Pescenio.

ad Rhut. II, lib. V. de milit. Roman. Dial. 16.

CLXXVIII.

At contumeliæ magis, quam ſitis ſublevandæ gratia Chriſto acetum hoc porrectum, confirmant Lucæ *c. XXIII, v. 36.* hæc verba; ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι, καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ, καὶ λέγοντες, εἰ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, σῶσον σεαυτόν. Atque hoc modo divini oraculi impleta eſt veritas, quod exſtat LXIX. Pſalmo Davidis, *Potaverunt me aceto in ſiti mea.* Scribit enim Johannes; ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, Διψῶ.

LXVI.

CALAMUS HYSSOPI.

De Hyſſopo, inquit Cl. Caſaubonus, *jam inde ab antiquiſſimis temporibus quæſtio eſt, adeo difficilis ad explicandum, ut videatur Elias exſpectandus, qui certi aliquid nos doceat.* Joachimus Camerarius, cui hoc elogium tribuit Caſaubonus, quod fuerit *nominis Germanici decus ſingulare*, ingenioſiſſime conjicit, initio ſcriptum apud Johannem ὑσσῷ, non ὑσσώπῳ; Caſaubonus & Lipſius ὑσσὸν *pilum* exponunt; at Salmaſius, (g) ſtupendum illud ingenium, *haſtam.* At vero quo minus Doctiſs. Camerario aſſentiar, movet me, quod tota vetuſtas, & quotquot antiqui hactenus reperti fuerunt Codices MSS. ad unum omnes in lectione ὑσσώπῳ concordes ſint. Nam cum ſine horum auctoritate ne in profanis quidem ſcriptoribus ejusmodi facile ſit admittenda ex ſola conjectura mutatio, multo minus in ſacro codice, cui major quædam debetur reverentia, hæc licentia ferri poteſt. Certe pro hyſopo loqvuntur veteres omnes interpretes, Syrus, Arabs, Ægyptius, Latinus, qui uti potuerunt exemplaribus ætate ipſa Apoſtolorum ſcriptis. Nam

(g) *Epiſt. de Cruce.*

aliquas

aliquas earum Versionum trecentis post Christum annis editas fuisse constat, vel etiã antiquiores esse. Origenes quoque, qui circa initium seculi tertii vixit, non legit ὑσσῷ, sed ὑσσώπῳ. Sane ὑσσὸν locum hic nullum habere perplurimis rationibus probat Maximus Salmasius. Primo enim non miles fuit, qui hyssopum cum spongia obtulisse dicitur Christo deficienti, sed unus adstantium spectaculo, qui audierat clamantem *Eli, Eli*, putaratq; Eliam ab ipso invocari in auxilium. Quomodo de Eliâ militibus Romanis aliquid in mentem venire potuit, qui, quis esset ille Elias, ignorabant? Sane Judæus fuit, qui potum porrexit. Unde autem illi hasta? Non licebat certe privato, multo minus Judæo tunc, in loco publico, ubi milites erant Romani, qui supplicio condemnati præerant, hastam gestare. Deinde; infixa ὑσσῷ spongia exhibita fuisset non circumposita, si hastæ summitati imposita esset tradita. At omnes Evangelistæ verbo περιθεῖναι utuntur. Præterea, ὑσσὸς antiqvum est vocabulum, & quod eo tempore in usu apud Scriptores sacros non fuit, cum pro eo λόγχης voce uterentur, sicut eodem capite Johannes militem λόγχῃ dicit Christi latus vulnerasse: λογχοφόροι qvoqve illo tempore Romani milites dicebantur. Postremo, quod ὕσσωπον Johannes dixit, reliqui Evangelistæ κάλαμον appellarunt. At *calamum* pro *hasta* apud ullum Græcum aut Latinum Scriptorem non reperias, sed pro *sagitta*. Alii sensu eodem pro ὑσσώπῳ legunt ὑσσωτῷ, ut nempe ex litera π una solum lineola, seu vetustate, seu aliter, perierit. At nullus veterũ sic locutus. Nuspiã ab ὑσσὸς invenias ὑσσωτὸς, nec ὑσσωτὸς idẽ fuerit ac ὑσσὸς. Heinsius pro ὑσσώπῳ legit οἰσύπῳ. Hesychio οἴσυπος est ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος, quãvis ipsa vox argumen-

 to sit,

to fit, ſic dici quaſi ὄϊος ῥύπος, ut non tam deſignet ſordes in caprarum pilis, quam ovium. Ovidius;

Oeſypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?
Demtus ab immundæ vellere ſuccus ovis.

b) libr. XXX c. 2. Plinius; (*b*) *Quin ipſæ ſordes pecudum ſudorq; feminum & alarum adhærentes lanis Oeſypon vocant.* Dioſcorides οἴσυπον definit τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος, *ſuccidarum lanarum pinguem ſuccum.* At quomodo potuerit cum ſpongia ſucco lanæ circumpoſita ad os Domini in cruce pendentis pervenire plane non penetro. Et cui bono œſypum illud cum ſpongia aceto madida Chriſto moribundo propinatum? *Vulneris eſt*, inquit Heinſius, μαλακτικόν. Crederem, ſi vulneribus ipſis imponatur, non ſi ori indatur. Certe œſypum ori admotum nec ſitim reſtinguit, nec ſpiritus revocat, ſed nauſeam potius creat. Cl. Bochartus conciliari facilè omnia poſſe putat, ſi, caſu ſolū mutato, pro ὑσσώπῳ legatur ὕσσωπον, ut ita habeat lo-

libr. II. Hierozo. cus Johannis; *Illi autem, cum ſpongiam aceto implevíſſent,* καὶ ὕσσωπον περιθέντες *& hyſſopū circumdediſſent, ori illius admoverunt.* Sic ſpongia hyſſopum non circumdederit, ſed hyſſopus ſpongiam, ut aceti acore cum hyſſopi amaritudine mixto fieret potus ingratior. Reliqui duo Evangeliſtæ de aceti ſpongia egerant, & quomodo calamo alligata Chriſti ori fuiſſet admota. At hoc unum prætererant, quod Johannes hic ſupplet, ſpongiam illam fuiſſe hyſſopo circumdatam, ut non ſolum acerbus ſed & amarus eſſet Chriſti potus. Hæc Bochartus. Sed quia & hæc ſententia receptam Johannis lectionem ſollicitat, noſtram eam haud temerè fecerimus.

Solvendus erat hic nodus, non ſcindendus. Qui in ſpeciem diſſonantes Evangeliſtarum locos in concor-

diam

diam redigere moliuntur, nonnulli volunt, non semel, nec ab uno Christum potatum, cum plures fuerint ejusdem facinoris administri, sed alios calamo, alios ligno hyssopi usos fuisse. Hoc Cyrillus voluit, quem secutus est auctor Tragœdiæ, cui titulus, *Christus patiens*. At cum non plurium, sed unius saltem meminerint Evangelistæ, non est cur entia præter necessitatem multiplicemus. Alii spongiam hyssopo, hyssopum calamo, fortassean aromatico, obvolutam volunt; Chrysostomus quidem & Theophylactus id factum censent propter vim hyssopi venenatam. Quod intellexisse etiam videtur Nonnus hoc versu,

Ὤρεγον ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέθρου.

Sed nullam facultatem letiferam hyssopo inesse vel id indicio est, quod Judæis in cibis fuerit usurpata, & in lustrationibus adhibita: Augustinus non quia δηλητηριώδης sit hyssopus, putavit Christo fuisse porrectam, sed ad circumveniendum eum, veluti ludibrii causa. Sed quicquid ejus sit, ipsa sane Evangelistarum verba principalem interpretationem plane refutant. Nam quod alii περιθεὶς καλάμῳ dixerunt, hoc Johannes sic expressit, περιθέντες ὑσσώπῳ. Ergo apud Johannem spongia circumposita est hyssopo, apud alios calamo. Unde certo colligitur hyssopum Johannis vicem habuisse calami, cui spongia circumligata fuerit.

Origenes, eumque secuti Grotius & Salmasius, Viri in omnibus scientiis fastigiati, non aliud ὕσσωπον fuisse quam κάλαμον sentiunt, ut nimirum ὕσσωπον pro calamo vel thyrso hyssopi posuerit Johannes, & alii duo κάλαμον dixerint de hyssopi calamo seu caule. Non parum huc facere videtur, quod Ægyptiaca N. T. Versio in utroque

loco legat ὕσσωπος, retento nimirum Græco nomine, Arabica ex adverso in utroque loco habeat, *supra calamum.* Certe calamus in propria notione sumtus tam Græcis quam Latinis *caulem* significat. Hesychius κάλαμον exponit τὸν καυλὸν τοῦ σίτου *culmum frumenti*, quem *calamum* hinc inde appellat Virgilius. Etiam Plinius calamos vocat Idæi rubi caules, quando, *Idæus*, inquit, *rubus dicitur, quoniam in Ida non alias nascitur. Est autem tenerior ac minor, rarioribus calamis innocentioribusq; sub arborum umbra nascens.* Indè ad alia transfertur & calamus dicta fistula ex calamis conflata. Propriè *calamitatem* rustici *grandinem* dicunt, quod comminuat *calamum*, h, e, culmum ac segetē, ut observat Donatus ad Comicum. Adversùs hanc sententiam facere quidem videtur, quod hyssopus sit exiguus frutex, ut caulis non potuerit ad hoc juvare, quo facilius spongia ei imposita ad os Domini pertingeret. At hyssopum inter ligna computant Judæi, fortassis quod in montibus Hierosolymitanis altius excreverit. In Tractatu de Sabbatho canon est, ad Sabbathi interdictum pertinere, si quis pro lignis, ad ignem nempe accendendum, Hyssopum domum intulerit. עץ vocant hyssopum, & Josephus δένδρον. Neutrum de herba ponitur, sed utrumque de arbore, aut frutice lignoso & arborescente. Quod clarius fiet, si inquiramus, quænam hyssopi species hic intelligatur? Fuisse hyssopi septem genera tradit Kimchi. Quatuor alii, ut præ cæteris insignia, memorant, Græcam, Romanam, nigram & sylvestrem: quam ultimam rejiciebant, quia non erat edulis, nec hortensis. *Græcam* describit Dioscorides, ejusque duas facit species, montanam & hortensem. Montana, ut Arabes tradunt, est frequens in montibus

Lib. XXIV. c. 14.

tibus

tibus Hieroſolymitanis. Et cenſet Maximus Salmaſius, *Epiſt. I. de*
huic caulem fuiſſe& longiorem & firmiorem,ſic ut ſpon- *Cruce.*
giam & facile ſuſtineret, & latius exporrigeret. *Romana*
fortaſſis eſt illa, quæ hoc nomine hodie vocatur in orbe
Romano, vulgaris illa & ſpicata, quæ ſtœchadem comam
habet. *Nigram* fuiſſe *Origanum* Græcorum ex Theophra-
ſto Salmaſius affirmat. Atque hanc ſolam in luſtratio-
nibus adhibuiſſe Judæos exinde conſtat, quod R. David *in libr. Rad.*
diſertè hyſſopum illam, cujus in purificationibus uſus, *dic.*
Arabice dicit appellari צעתר & Latine אוריגנו i. e. *Ori-*
ganum. Atque de hac hoc loco ſermonem eſſe volunt
auctores nominati, quam inter φρυγανικὰ recenſet & ξυλώ-
δη, id eſt, inter minores frutices, qui & lignoſi, Theo-
phraſtus. Nec vero iſto ad varias hyſſopi ſpecies opus fu-
iſſe videtur ſuffugio, cum quotidie videamus, plantas
pro loci proprietate & anni temperatura citius tardius-
que adoleſcere, atque celſius aſſurgere. Sic ſcribit Plini- *c. XXIX, 4.*
us auctores tradere, in Arabia malvas ſeptimo menſe
arboreſcere, baculorum uſum præbere extemplo. Idem
non facta mentione Arabiæ, cultura fieri teſtatur Theo-
phraſtus. Itaque, ſi malva, quæ herba flaccida eſt, in-
quit Cl. Beverovicius, varietate ſoli, vel ſola cultura *l. I. Hiſt.*
ad tantam magnitudinem, ac firmitatem pervenire po- *Plant. c. 5.*
teſt, ut baculi uſum præbeat, quanto magis ſolum Ori-
entis natura ſua aptum, quippe è cœlo & ſolo præpara-
tum, id efficere queat in hyſſopo, herba per ſe fruticoſa.

LXVII.

PONTIFEX N. TESTAMENTI.

Pontificis eſt, προσφέρειν ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων,

quod

quod facit etiam Christus, orando pro inimicis. Oratio hæc est, Πάτερ ἄφες αὐτοῖς. Verbum Græcum notat & remissionem culpæ & vel ablationem, vel mitigationem pœnæ. Remittit etiam DEUS peccatum, quando non imputat in hoc, ut pœnitentiam (quod ex justo judicio facere posset) peccatori præcludat festinato exitio, aut plenissima obduratione, quod proprie intenditur in simili fere oratione Stephani; μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην.

Causa additur; οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι. Notat illustris Grotius facere hic Christum, quod solent deprecatores, qui omisso quod solet aggravare delictum, id referunt quod ad minuendam aliquo modo culpam pertinet. Erat quidem ignorantia supina & crassa, excusabilis tamen, quia in eum peccabant, quem non pernoverant. Act. *III*, 17. *I.* Cor. *II*, *8*. Itaque videre erat multos eorum hac Christi deprecatione sublevatos, cum intellexissent postea Christi causam DEO probatam, adductos ad seriam facinoris sui detestationem. Aristoteles distinguit inter δι' ἄγνοιαν πράττειν & ἀγνοοῦντα ποιεῖν. Qui ignorantes peccant, & non per ignorantiam, re comperta facti pœnitentia ducuntur. Crucifixores Christi ἀγνοοῦντες peccabant, quia neque norant esse Filium DEI, quem affixissent cruci, neq; notũ iis, sic Deum procurare velle salutem generis humani. *Quamvis insontem quem crucifigebant esse sciebant*, inquit Quistorpius Senior, *nesciebant tamen hoc ipsum subjectum Regem gloriæ esse*, Act. *XIII*, 27. *& non satis perpendebant peccati hujus in Filium DEI commissi atrocitatem, nec pœnas illud insecuturas: quare eos excusat non à toto, sed à tanto.*

l. III, de moribus.

LXVIII.

CLXXXV.

LXVIII.

PARADISUS LATRONI PROMISSUS.

Christus latroni à dextris pendenti, cum rogaret ut sui vellet meminisse, ubi in regnum pervenisset, respondit; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Ubi Tria pensitanda occurrunt. Primum, quid sit *Amen*. Deinde quomodo cum verbo *hodie* conjungatur. Denique quid *Paradisus* notet.

Ἀμὴν אמן utplurimum adverbii significationem habet, ἀληθῶς, πεπιστευμένως, *vere*, *certò*, Suida interprete. Sunt qui jurandi particulam dicant. Mitius Augustinus esse *quasi juramentum* ait. Omnium tutissime dicitur, quod vehementius affirmet, inprimis geminatum. Apud LXX nonnunquam verbi optantis vim obtinet *I.* Reg. *I*, *36.* Ps. *XLI*, *14.* ubi exponitur γένοιτο, *fiat*, *ratum esto.* Ita quoque sumi existimat Cl. Vossius *I.* Cor. *XIV*, *16.* ubi negat Paulus, idiotam posse dicere *Amen*: qva voce in vetere Ecclesia populus obsignabat precationem sacerdotis. Subinde vim Nominis substantivi induit, inprimis, quando præfixum habet articulum, ut Apoc. *III*, *14.* conf. Es. *LXV*, *16.* & *II.* Cor. *I*, *20.* Cur Christus asserendi hac formula hoc loco utatur, ostendit Cyprianus his verbis; *Cum res adeo insignis esset, quam promittebat Christus, nimirum Paradisus, & quia ille, cui promittebat, magnus peccator erat, scelicet latro, & parvæ fidei promissor videretur, utpote qui in cruce penderet, & quia fex hominum aderat, in cujus præsentia promitteret, nimirum Judæi, ideo ad majorem verborum suorum confirmationem voluit ante jurare quam promittere.* *Tract. XLI.*

CLXXXVI.

Additum *Hodie* eſt emphaticum, & ſolet beneficiorum mentioni adponi. Ariſtippus apud Diogenem Laërtium; *Δύνασαι καὶ σὺ μεθ' ἡμῶν σήμερον γενέσθαι.* Terentius; *Quàm vellem Menedemum invitatum ut nobiſcum eſſet hodiè.* Plautus; *Nempè tu hodiè mecum eris, mea Phroneſium.* Eleganter Ambroſius; *Potuit dicere, mecum eris in paradiſo, ſed addit Hodiè, ne dilatione gratia minueretur.* Chriſtus hac ipſa voce plus promittit, quam erat rogatus. Rogas, inquit, ut olim tui ſim memor, cum in regnum venero; ego tamdiu non differam tua vota: ſed primitias ſperatæ felicitatis tibi intra hunc ipſum diem repræſentabo: morere ſecurus, à morte ſtatim te divina ſolatia exſpectant. Ridiculum vero eſt, particulam *hodie* cum verbo *dico* connectere velle, ut ſit ſenſus; *Amen dico tibi hodie.* Sic olim Monachus quidam, citante B. Chemnitio. Sic etiamnum Photinianorum verſio Germanica, Ich ſage dir heute: du wirſt mit mir im Paradies ſeyn. Quorſum enim diceret Chriſtus, ſe eo die loqui? *Nimis audaces fuere*, inquit Beza, *qui particulam σήμερον, adjecta diſtinctione, conjunxerunt cum verbo λέγω, cum in omnibus codicibus connectatur cum verbo ἔσῃ, & in quodam etiam exemplari legatur, ὅτι σήμερον.* Eadem planè ratione Syrus, qvi habet; *Amen dico tibi, QUOD hodiè mecum eris in Paradiſo.* Cum Photinianis idem qvidam ſentiunt ex Pontificiis, qvi animam Chriſti è corpore non in Paradiſum, ſed limbum ſomniant migraſſe infernalem. Quibus unum, qvi omnium inſtar eſt, opponimus Bellarminum ita loquentem: *Hæc expoſitio prorſus eſt ridicula: quorſum enim Dominus diceret, Amen dico tibi hodie? Nonne videbat latro Dominum loqui illâ die? Præterea, quis non videt per illud adverbium, HODIE, reſponderi ad illud adverbium, QUAN-*

[Margin notes: Heautont. — Trucul. — in Pſ. XVIII. — in exam. c. 1. — lib. 1. de beat. ſanct. c. 3.]

QUANDO? Vera ergò expositio est Theophylacti, Ambrosii, Bedæ & aliorum, qui per Paradisum intelligunt regnum cœlorum.

Paradisi vocem origine Græcam esse vult Svidas, etymonque adducit geminum. Παράδεισος εἴρηται παρὰ τὸ δεύσω, τὸ βρέχω, & paucis interjectis: Παράδεισος, τροπῇ τοῦ υ ψιλοῦ εἰς ι. οἱ δὲ φασι παρὰ τὸ τὴν δεῖσαν πιέσαι, ὅ ἐστι, βοτανῶν συλλογήν. Doctiss. Vossius vult Hebræum esse vocabulum, quia Hebræis פרדס notat hortum amænissimum, arboribus fructiferis consitum. Pollux vult esse origine Persicum, usu deinde ad Hebræos & Græcos devolutum. Idem sentit illustris Grotius. Cicero apud Xenophontē vertit *agrum conseptum* ac diligenter consitum; Gellius *Vivarium*: nec aliter R. Salomon. Quandoquidem autem duplicis paradisi meminit sacra pagina, terrestris & celestis, nonnulli ex Patribus Græcis terrestrem hic intelligi contendunt, hortum nempe illum, in quo collocati fuere primi parentes. Certe adhuc superesse illum hortum, inque illum translatos Enochum & Eliam, illic teneri beatas animas ad diem judicii, affirmat Justinus, additqve Irenæus, in hunc Paradisum raptum fuisse Paulum: consentit etiam Tertullianus, (*a*) Et ne objicias, diluvium universale Paradisum perdidisse, tradunt Basilius (*b*) ac Damascenus, (*c*) Paradisum esse locum terra sublimiorem, ac longe interjacente spatio vel maris vel terræ è regione mundana secretum, & in alto situm, sicut Lunæ circulum attingat, quo aquæ diluvii non pervenerint. Johannes de Montevilla de situ paradisi sic scribit: Das Paradieß ist auff dem höchstem Berge in der Welt gelegen/und meinet man/ es stosse hinauff in den Himmel/ an des Mondes

ad Neh. II. 8.

(*a*) *libr. de Anima.*
(*b*) *Orat. de Parad.*
(*c*) *l. II. O. F. c. 11.*

Kreiß/ und gehet nicht mehr dann ein Weg in das Paradeiß. Potissima ratio auctorum hujus opinionis est, qvod in summa altitudine montium maximam aëris salubritatem esse putant, ut patet ex Thoma. (a) At effictum hoc est. Certe Augustinus (b) testatur, in summis montibus aërem esse adeo tenuem, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur ventis, neque alites sustinere, nec homines crassioris auræ Spiritu alere queat, qvos nisi spongias secum ferant aqva succidas, qvæ præbeant exsugendum humorem ad refrigerandum cor, ob summam aëris tenuitatem & siccitatem exspirare necesse sit. Sane Paradisum terrestrem diluvio universali, & fortasse antea etiam, fuisse abolitum, certissimis nec paucis documentis constat. Tempore diluvii universalis omnem terræ superficiem obrectam esse aqvis, omnia deperdita, testis est Scriptura. Præterea si ponas, mansisse Paradisum illæsum, qvæso rationem exponas, cur Noah tanto labore arcam exstruxerit, & non potius in paradisum se receperit cum suis? Taceo tot tantosque Viros, etiam ex adversariis, à nostris partibus stare. Vide, quæ habent Cornelius à Lapide, (c) Bonfrerius, (d) Possevinus, (e) Maldonatus, (f) Tornielus, (g) Lorinus, (h) Jansenius, (i) & alii. Quare statuendum, loqvi hoc loco Christum de Paradiso celesti, ubi DEUS Angelis & beatis in gloria sua sese revelat, qvod etiam contra sodales suos, Maldonatum, Lorinum, alios v. l. c. acriter defendit Bellarminus. De quo alibi plura, conf. Maresium disp. sel. part. 1. p. 587.

(a) Sent. III. dist. XVII. qv. 4.
(b) l. III. de Genes. ad lit. c. 2.
(c) in cap. III Gen.
(d) in cap. II. Genes.
(e) Tom. I Appar. p. 136.
(f) in Matth XXVII, 24.
(g) in Annal Mund. d. III. n. 23.
(h) in 2. Petr III, 10.
(i) Conc. Evang c. CXLIII.

ULTI-

CLXXXIX.

LXIX.

ULTIMUM VALE.

Chriſtus valedicturus Matri, &, quem unice diligebat, diſcipulo Johanni, illam de cruce ſic affatur; *Mulier, ecce filius tuus.* *Mulierem* non *matrem* vocat, tum ne altius viſcera dilectionis & doloris concuteret, tum qvia alium ei jam filium adoptabat; tùm ne qvid affectibus humanis tribuere videretur, qvi Patris celeſtis jam ageret negotium, ut inquit Ammonius Alexandrinus. Vocula ἰδὲ eſt demonſtrantis, ſicut & Hebræorum הנה, unde nonnulli colligunt, Chriſtum capitis & oculorum nutu Johannem proxime matri adſtantem deſignaſſe. Qvod additur; *ecce filius tuus*, Et, *ecce mater tua*, non naturam deſignat, ſed officium. Nec aliter loqvi conſveverunt auctores profani. Apud Virgilium Aſcanius promittit Euryalo, matrem ejus ſi qvid ei humanitus contigiſſet, ſibi pro matre futuram. Cum hoc vellet dicere, dixit, ſibi matrem futuram; *In Harmon.* *libr. IX.*

Namq; erit iſta mihi genitrix, ſolumq; Creuſæ
Nomen defuerit - - -

Johannes morem gerens Domino Mariam accepit εἰς τὰ ἴδια. Syrus vertit; *apud ſe.* Similiter Epiphanius, πρὸς ἑαυτὸν. Nonnus paraphraſi;

Παρθένον εὐώδινα συνέστιον ἔσχε μαθητὴς
ἔνδον ἑοῦ μεγάροιο - - -
Virginem partu felicem convictricem habuit
Diſcipulus intra domum ſuam.

Rectiſſimè Beza; *in domicilium ſuum.* Sic qvod Hebraice eſt אל־ביתו Eſther *V*, 10. & *VI*, 12. Græcè vertitur, εἰς τὰ ἴδια. Sed adverſari videtur huic ſententiæ, qvod Jo-

hannes inter eos fuit, qvi relictis omnibus Christum
(*a*) *libr. I. Hist. Eccles. c. 28.* secuti dicuntur Matth. *IV, 22.* Nicephorus (*a*) tamen refert, habuisse Johannem domum propriam sitam ad radices montis Sion. Aliter hunc nodum solvit Magnus
b c. XXXVIII Harm. Evang. Chemnitius. (*b*) Putat is discipulos Christum secutos non abdicasse omnino proprietatem dominii & usum facultatum, sed ab administratione tunc abstinuisse tantum, qvando aliis Apostolicæ functionis laboribus fuerunt occupati. Idque exemplo Petri probat, qvi domum propriam habuisse dicitur Matth. *VIII, 14.* Simplicissime omnium dicitur, per τὰ ἴδια intelligi locum, ubi Johannes pro tempore divertebatur. Credibile enim non est; discipulos omnes proprias habuisse ædes, qvi tamen dicuntur dispersi ἕκαςος εἰς τὰ ἴδια Joh. *XVI, 32.*

LXX.

QUERELA CHRISTI A DEO DESERTI.

Inter acerbissimos cruciatus Christus in cruce pendens alta voce exclamat, *Eli*, *Eli*, sive, ut eadem mente est apud Marcum, *Eloi*, *Eloi lama sabachtani*, hoc est, *De-*
libr. X. ἀποδειξ. *us mi*, *Deus mi cur me deseruisti?* Desumta est hæc querela ex Ps. *XXII*, ubi in Fonte legas, אלי אלי למה עזבתני Pro אלי Evangelistæ legunt ἠλί. Eusebius vero ἠλεὶ. Syrus איל איל, pro qvibus Drusius restituendum existimat אלי אלי, qvam mutationem minus necessariam judicat L. de Dieu. Marcus habet ἐλωῒ, qvod ideo in tam multa exemplaria penetrasse arbitratur Grotius,
in not. ad Marc. XV. quia sicut Lucæ Evangelium initio maxime celebratum est per Ecclesias à Paulo fundatas, ita Marci per omnem Babylo-

Babylonicam Διασποράν, cui Petrus præfuerat, ac proinde descriptum ab hominibus Syrum sermonem callentibus, qvibus notius erat אלהי, qvam אלי. At Dieu negat esse Syriacum, qvia sic potius Ἀλαΐ scribendum fuisset, qvam Ἐλωΐ, qvam rationem evertit Barthol. Mejerus, qvi videatur. *Philol. Sacr. part. II.* Hebræum *azabtani* Latina qvædam exemplaria hoc loco exhibent, qvod fortassis (si non ab Hieronymi,) à librarii manu est, qvi ipsa Psalmi verba hic ponenda existimavit. At Græci Codices constanter legunt *sabactani.* Cujus causa est, qvod Judæi à captivitate Babylonica non uterentur amplius mero sermone Hebræo, sed multis Chaldaicis permixto. Id qvod contra maledicam Judæorum observandum est calumniam, qvi, ut, veterum more, ὡς ἐξ ἁμάξης, convitia in Apostolos conjiciunt, ità eosdem ne Hebraicæ qvidem linguæ peritos fuisse palàm scribunt, argumento vocis שבקתני, qvæ Hebræa non sit, monente Cl. Hottingero. *Thes. p. 255.*

Ceterùm qverela hæc Servatoris formata per apostrophen ad Deum directã duplici affectu exornatur: affectu fiduciæ, qvam signat vocula MI, includens omnia beneficia Christo secundum carnem exhibita, qvalia sunt inprimis creatio humanæ ejus naturæ ex massa beatæ V. Mariæ per miraculosam superventionem Sp. Sancti; assumtio carnis illius in ὑπόστασιν τοῦ λόγου, ita ut Christus etiam secundum humanam naturam sit filius Dei personaliter, sicut secundum divinam est filius Dei naturaliter; collatio divinorum αὐχημάτων carni assumtæ in ipsa statim unione personali communicatorum. Perindè ergò est, ac si diceret Christus: *O DEUS, tu creator, tu proprio & singulari modo pater meus es, tù me unxisti spiritu & virtute. Quid ergò me dereliqvisti? quomodo amorem tuum*

conti-

continere potuisti, ut tantis me & tot exponi cruciatibus permitteres? Affectus alter est horroris & anxietatis, qvem notat anadiplosis vocum, *Deus mi*, *Deus mi*, consveta clamantibus & festinantibus, periculi tum magnitudinem, tum auxilii necessitatem significaturis Gen. *XXII*, 11. Exod. *III*, 4. Græci ad perficiendum affectum addunt πρόσχες μοι, *respice me.* Qvamvis suspicentur nonnulli, LXX, utpotè qvi legerent sine punctis vocalibus, postremum אלי non אֵלִי sed אֵלַי *ad me* legisse. Matthæus *c. XXVII.* hæc verba geminata effert in vocativo. At Marcus *c. XV.* nominativum loco vocativi per atticismum ponit. Hebræum אלי ad emphasin satis recte Aqvila expressit, ἰσχυρέ μου, qvasi voluerit dicere Christus; O tu, qvi solus fortis es ac potens, potesqve me servare si vis, cur me deseris in his malis? Interrogatione utitur Christus, non ut desertionis causam exploret, sed ut affectum intendat & cruciatuum magnitudinem exaggeret, Exod. *XXXII*, 11. Job. *III*, 11. Ps. *X*, 1. 9. quos vehementissimos fuisse Evangelistæ verbo ἐγκαταλείπειν notant, qvod usurpatur de iis, qvi hærent in angore profundissimo, ex qvo velut ex luto densissimo ipsis est eluctandum.

LXXI.

DESERTIO CHRISTI.

Tria infert *desertio* Christi I. *imputationem nostrorum peccatorum.* Non enim deserit Deus hominem, nisi anteà ab homine deseratur per peccatum. Ergò desertio divina, *pœnalis* maximè, præsupponit reatum peccati: Jam Christus ex & in seipso non habebat ullam maculam, nec ullius peccati inhærentis s. originalis s. actualis

reus

reus erat: ſeqvitur ergò, imputata eſſe ipſi à Deo generis humani peccata. Hinc *Agnus* dicitur *tollens peccata*, non ſua, ſed *mundi Joh. I.* II. *retractionem majeſtatis divinæ in ipſa unione carni communicatæ.* Nam deſertio hæc non eſt intelligenda de diſtantia naturarum in perſona Chriſti, qvia, ut unio hypoſtatica eſt indiſſolubilis, ita ὁ Λόγος ſemper ἀδιαςάτως καὶ ἀδιαιρέτως carni ſuæ, & caro τῷ λόγῳ præſens eſt. Nec deſertio hæc accipi debet de amiſſa majeſtate divina carni aſſumtæ in incarnatione ſemel tributâ, qvia in media etiam exinanitione caro Chriſti majeſtatem hanc poſſedit, quapropter *Matth. XXVII*, 24. ſarcaſmus iſte Judæorum; *alios ſervavit, & ſemetipſum ſervare non poteſt*, ut impius arguitur. Nec denique intermiſſum omnimodum majeſtatis divinæ exercitium hæc deſertio innuit, ſiqvidem Chriſtus in ipſa morte edidit miracula, & per mortem deſtruxit eum qvi mortis habebat imperium. Sed accipienda eſt deſertio de intermiſſo divinæ majeſtatis in carne particulari exercitio, deq; eâ liberationis ſpecie, quâ potuiſſet omnem injuriam à ſe propellere. Scitè Bernhardus; *Quædam eſt derelictio, ubi nulla fuit in tanta neceſſitate virtutis exhibitio, nulla majeſtatis oſtenſio.* Et hoc eſt, qvod Irenæus dicit, Chriſtum paſſum fuiſſe ἡσυχάζοντος τοῦ Λόγου, *divinitate non exſerente vires ſuas in carne.* Qvando ex Patribus Ambroſius, Hilarius, & alii nonnunqvam dicunt, divinitatem in hoc agone ſeparaſſe ſeſe ab humanitate; explicandæ illæ locutiones rite ſunt, prout eas explicat Lombardus; (*a*) Nimirum ſeparaſſe ſe divinitatem, non qvod intus defuerit ad unionem, ſed qvod ſubtraxerit in repellendis mortis doloribus defenſionem. III. *Inflictionem pœnarum temporalium & infernalium.* Inprimis enim deſer-

Serm. V. de verb. Eſai. Dial. III.

(a) Serm. V. III. diſt. 48.

 tione

tione hac ſignantur cruciatus &angores infernales, quos anima Chriſti perpeſſa eſt, portans iram Dei ob peccata noſtra in ſe derivata. Quod patebit, ſi (1) conſideres deſertionis hujus *cauſam efficientem*, qvæ eſt DEUS. Quando Deus derelinquit, tum derelictus eſt maledictus, deſtituitur adſiſtentia, caret luce ac vitâ ſuâ, atque immergitur conſternationibus, tenebris & angoribus: Deus enim ſolus eſt beatitas, vita, lux & gaudium animæ noſtræ (2) expendas *circumſtantiam temporis*, quo Chriſtus in paſſione hanc querelam effudit. Pendebat in cruce cum improbis reputatus, nudus & abjectus, deſtitutus omni auxilio, ludibriis & irriſionibus expoſitus, ab omnibus deſertus: Vulgus convitiabatur, ſacerdotes blaſphemabant, latro contemnebat, milites deridebant, ſol radios ſuos avertebat, nec Pater celeſtis vel guttulam inſtillabat ſolatii (3) *collationem* inſtituas *inter deſertionem piorum* παιδευτικὴν *ſeu caſtigatoriam & Chriſti* τιμωρητικὴν *ſeu pœnalem.* In illâ deſeruntur pii à Deo non *verè* ſed *apparenter.* Videntur tantum ſibi deſeri, qvando non ſtatim ab iis, qvibuſcum conflictantur, malis liberantur, interim Deus ſolatio aliqvo interiore eos reficit, nec ſeriò ipſis adverſatur, ſed tantum paternè caſtigat & probat. At illi in tantas ſæpè rediguntur anguſtias, ut in ipſo inferno jamtum verſari ſibi videantur. Quantò magis Chriſtus infernales paſſus erit cruciatus, qvi Deum, effuſis in ſe omnibus furoris divini cataractis, verè & ſeriò ſibi iratum expertus? qui ineffabilibus expoſitus animæ & corporis horroribus nihil ſenſit ſolatii? Certè hæc derelictio Chriſti fuit *pœna* propriè dicta, cujus *formale* eſt *maledictio.*

lib. III. diſt. 15. Scholaſticorum & Pontificiorum nonnulli negant,

Chriſti

Chriſti animam ſuſtinuiſſe iram Dei, maledictionem & cruciatus infernales. Videri præ aliis poſſunt Lombardus & Canus. Sed diſertè ſcriptura Chriſtum aſſerit fuiſſe ἐν ἀγωνίᾳ *Luc. XXII, 24.* cœpiſſe λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν *Matt. XXVI, 37.* qvin & ἐκθαμβεῖσθαι *Marc. XIV, 33.* adeò ut περίλυπος fuerit ipſius anima & *ſuprà modum triſtis*; ita præterea cum mortis, qvam noſtro nomine obiturus erat, terroribus luctatum fuiſſe, ut ſudore diffluxerit ſanguineo, *Luc. l. c.* Nec aliter fieri poterat. Innumeris enim Martyribus infirmior fuiſſet Chriſtus, qui ſummo cum gaudio graviora pertulerunt, ſi mortem ſolum externam ac corporalem ſuſtinuiſſet: neqve in hoc ſacrificio conqviescerent animæ noſtræ, ſi pœna, quam nos commeriti ſumus, in ipſum non fuiſſet derivata. Præterea expiatio inducit ſenſum iræ divinæ & mors crucis maledictionẽ, Deut *XXI, 23.* Pacis reparatio arguit præcedaneã pœnarum infernalium luitionem. Jam Chriſtus expiavit peccata factus pro nobis peccatum *II. Cor. V, 21.* & ſuſtinendo mortem crucis, *Phil. II.* maledictio ſ. maximè maledictus *Gal. III, 13.* & pacem reparavit *Eſ. LIII, 5.* guſtans mortem pro omnibus *Ebr. II, 9.* Ergò & iram divinam ſenſit, & pœnas infernales paſſus eſt. Idem nobiſcum docent ſaniores Pontificii. Cuſanus, *Vir*, judice Bellarmino, *æquè pius ac doctus*, Vir, *ut ſcientiis excultus penè omnibus, ita reliquis vitæ dotibus ornatus*, teſte Poſſevino, de cruciatibus Chriſti ita loqvitur; *Paßio Chriſti, quâ major nulla eſſe poteſt, fuit ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt, ſcil. usque ad pœnam infernalem.* Arias Montanus agens de paſſione Chriſti in horto, inquit; *Primum non propriæ, ſed alienæ culpæ ſibi impoſitæ experimento, quàm difficile, quàm grave, quàm importunum, quàm deniq; ærum-*

lib. XII. loci Theol. c. 13.

de ſcriptor. eccleſ.

lib. X. exerc. ex ſerm. Qui per Spiritum

l. VII. de gen. & reg. Adam. c. 23.

 noſum

nosum & letiferum peccati pondus, quàm durum jugum esset, quod pro terrarum orbe proque singulis hominibus sustinebat, sensit: quàm porrò horrendam iram, quàm terribiles pœnas mundus commeritus fuisset, quas ipse jam tum luiturus expiaturusque subibat, ut qui non solùm sese contumelias, opprobria, flagra, & ignominiosa supplicia ad mortem perlaturum, sed ardorem inimicitiarum iræ Dei adversùs homines patientiâ, obsequio, atque durissimæ castigationis tolerantiâ restincturum sciret. Conf. Joh. Ferus & Maldonatus.

ad Joh. XII. in Matt. XXVI.

Quamvis autem variè turbatus fuerit Christus, in peccatum tamen minimè prolapsus est. Turbari vix possumus qvin peccemus: sunt enim passiones nostræ, aquæ instar limo insidentis, qvæ commoveri neqvit quin lutosa evadat; at Christi affectus instar fuerunt limpidissimæ aqvæ purissimo vase conclusæ, quæ nihil ex commotione sordium trahit. Quapropter auditu horribilis est sententia, quæ à nonnullis tribuitur Origeni, ac si pœnituisset Christum in desertione conqverentem, tot mala passum, tot scommata expertum, tot cruciatum doloribus, qvod homo factus nostram sibi copulaverit massam. Alius quidam apostata Præmonstratensis, cujus in catalogo hæreticorum mentio fit, eò impudentiæ, qvin & impietatis prolapsus, ut scribere non erubuerit, Christum clamantem, *Deûs mî* &c. prorupisse in *desperationis* vocem. Qvam tamen blasphemiam Joh. Calvinus solutione aliqua tueri ausus est. Contra hos probè notanda est deserti Christi summa & *patientia* & *confidentia* omnem excludens desperationem. Ob *patientiam*, quá Patri obediens fuit ad mortem usque crucis, agno comparatur obmutescenti coràm tondente se *Es. LIII.* De *confidentia* qvoqve & certitudine, quâ Patris sibi gratiam pollicitus

Lib. III. Inst. c. 16.

citus eſt, ipſa qverelæ verba ſatis clarè loqvuntur, in quibus Chriſtus Deum ſeſe deſerentem vocat *DEUM ſuum*, pronomine utens poſſeſſivo, fiduciæ characteriſtico.

Qvæ Scholaſtici & Pontificii obſtare nobis volunt, reverà non obſtant. Putant illi, deſertionem hanc non poſſe de luitione pœnarum infernalium accipi, eò qvod beatitudo, qvâ Chriſtus ſemper beatus fuit, non conſiſtat cum iſtiusmodi doloribus. At ſciant, Chriſtum, licet ſecundum carnem fuerit afflictiſſimus, ratione divinitatis tamen ſemper manſiſſe beatum, mediâ etiam in morte, qvam ſecundum humanam naturam ſuſtinuit. Lombardus allegat dictum Auguſtini, *Chriſtum non verè timuiſſe mortem, quia non ſit fortior miles, quàm imperator. Martyres mortem expetiverunt.* Sed multum differentiæ eſt inter Chriſti & Martyrum dolores. Nam martyres ſuſtinuerunt mortem tantum corporalem, at Chriſtus non cum terroribus corporalis tantum mortis, verum cum ipſo Deo irato, cumqve horribili ejus judicio & condemnatione æternam mortem infligente luctatus eſt: Martyres Spiritus S. advocatione & conſolatione leniri ſibi dolores corporis ſenſerunt; at Chriſtus omni planè ſolatio fuit deſtitutus: Martyres neque ſua, multò minus aliorum portârunt peccata, at Chriſti humeris omnia omnium hominum peccata expianda Deus impoſuerant. Si unum peccatum adigere hominem poteſt ad tantos pavores, ut quo ſe vertat, neſciat; qvid mirum, ſi Chriſto omnium peccatorum pondus lamenbilem hancce vocem expreſſit, *ut quid me deſeruiſti?* Bellarminus objicit duo ſibi viſa abſurda, qvibus noſtram de pœnis infernalibus à Chriſto ſuſtentis ſententiam infringere allaborat, a. *quod Chriſtus non ſit æternum paſſus,*

l. c.

lib. IV. de anim. Chr. c. 8.

cum tamen pœnæ infernales sint æternæ. Sed disting. inter luitionem pœnarum temporalium *intensivè* & *extensivè* spectatam, seu inter earum *essentiam* & *circumstantiam*. Essentia consistit in infinitæ iræ divinæ luitione, quam à Christo fuisse susceptã suprà probatũ est. Circumstantia autem est æternitas seu continua duratio, quæ pœnis illis accidit saltem, quia nulla virtus eluctandi in damnatis. At Christus infinitâ suâ virtute eluctatus est & ex judicio sublatus *Es. LIII, 8. β. quot non tot mortes sustinuerit, quot fuerunt, sunt & erunt homines.* Verum rursus confundit Cardinalis *subjectorum multitudinem accidentalem* cum *pœnæ* ipsius *essentiâ.* Christus semel mortuus est, veruntamen ista mors pro omnibus omnium hominum peccatis λύτρον fuit perfectissimum, quoad & partium & graduum perfectionem. Non enim tantum corporalem mortem sustinuit, eamque effusione non unius vel alterius guttæ, sed totius sanguinis sui; verum etiàm æternam, quæ consistit in abjectione à Deo, & luitione iræ divinæ secundum sententiam stricti judicii Dei.

LXXII.

DESERTIONIS SUBJECTUM.

Subjectum desertionis innuitur voce ME & est *persona Christi.* Multi quidem Patres alienam à litera explicationem quæsiverunt, indignum rati, quod filius Dei in propria persona deberet deseri à Deo. Unde Theophylactus desertionem hanc exponit de abjectione Judæorum, qui adeò fuerint à Deo deserti, ut filium Dei crucifigere non erubuerint. *Me*, inquit, *hoc est, meam cognationem, meumque populum deseruisti, ut tale malum faceret.*

ceret. Sed qvis non videt, contextum *Pſ. XXII.* gloſſæ huic reclamare, cum ea cruciatuum genera, qvæ de deſerto ibi enumerantur, ſoli Chriſto fuerint propria? Origenes exponit de Chriſto ratione officii Prophetici, qvi tantam ſit expertus hominum ingratitudinem, ut deſertus qvaſi reliqvias in meſſe collegerit, paucos aliqvos credentes. Sed & hic dolor de ingratitudine hominum non exhaurit abyſſum cruciatuum Chriſti: Auguſtinus de corpore Chriſti myſtico deſertionē hanc intelligit, qvemadmodum & Bernhardus diſſerit, qvod perſonam membrorum ſuorum geſſerit Chriſtus, quorum multa in tantas erant ventura anguſtias, ut derelicta penitus ſibi viderentur à Deo. Sed rectiùs alibi ſe explicat Auguſtinus, cum de Chriſto ipſo hæc verba loqvi teſtatur. *Nolite*, inqvit, *putare, non fuiſſe triſtem Dominum, triſtis fuit & prorsùs triſtis, ſed voluntate ſuſcipiens triſtitiam, quomodo voluntate ſuſcepit carnem.*

Homil. XXVII. in Matth. *in Pſ. XX.* *de Paßion. Dom. c. XII.* *in Pſ. XCIII.*

Quamvis autem Perſona Chriſti ſit deſerta, non tamen hæc deſertio de utrâque ejus natura explicanda eſt, ſed vindicanda illi naturæ, cui competit à Deo deſeri. *Subjectum Quod*, ut loqvuntur Scholaſtici, deſertionis eſt qvidem tota perſona; *Subjectum Quo* autem eſt ſola humana natura Chriſti: idque ex ipſis querelæ verbis ſatis conſtat. Nam *ſecundum quam naturam Chriſtus habuit Deum, quem invocavit, ſecundum illam etiam eſt deſertus à Deo.* At *ſecundum humanam* &c. *E.* &c. Diſtinguendum hic inter *totum Chriſtum*, & *totum Chriſti.* Totus Chriſtus qvidem eſt deſertus, ſed non ſecundum totum ſui ſeu utramque naturam.

Invenias tamen apud Patres ἀκυρολόγȣς quasdam locutiones. Ità enim Auguſtinus; *Deitas, quæ meam* *c. VI. Medit.*

induit

induit naturam, crucis adscendit patibulum & in assumtâ carne triste tulit supplicium. Vigilius; *Divinitas* (in carne scil. sibi unitâ) *clavis confixa est, sed ipsa penetrari non potuit, siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit. Nam Deus invisibilis & impenetrabilis mansit.* Ubi pro abstracto concretum debere accipi nemo sanus non intelligit. Improprius est loquendi modus, indicans, non nudum hominem, nec Λόγον solâ relatione pro nobis esse passum, sed in propria carne verè passum, verè carnis suæ passionem sibi vendicasse propriam. Deum enim dicimus passum, non qvia in sua natura passus sit, sed qvia corpus illud, qvod per unionem ipsius factum est, hoc sustinuit. *Corpus ipsius proprium pro omnibus mortem gustavit; non quod ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam attinet: insania enim est hoc vel sentire, vel dicere,* sunt verba Concilii Ephesini: *Quod si quis dicit, in passione crucis dolorem sustinuisse Dei filium divinitate, & non carne & animâ rationali, quam assumsit in servi forma, ut dixit sacra Scriptura, anathema sit!* habet Professio fidei Catholicæ, quam Damasus misit ad Paulinum.

L. II. cont. Eutychen — *can. XIIX.* — *Lib. IX. Hist. Trip. c. 16.*

LXXIII.

SITIS CHRISTI.

Sitim Spiritualem hic intelligi vult Bernhardus; quando, *Non satis*, inqvit, *credibile est, Dominum de siti corporali dixisse, ut potum peteret carnalem, qui in instanti se sciebat carnaliter moriturum, sed potius desiderium ardentissimum salutis nostræ ipsum sitivisse credimus.* Ibidem; *Quem potum sitiebat fons aquæ salientis salutaris, vena vitæ, torrens voluptatis, fluvius irrigans celestem Paradisum? Profecto sitiebat*

De Passion. Dom. c. XIII

tiebat nostram salutem, nostram videlicet sitim sitiendo deside-rans, ut nos sitiremus ad Deũ fontem vivũ. Qvæ omnia, quan-doqvidem pia sunt, rejici minime merentur. Sed & de siti naturali hic sermo est, qvippe qvam & cruciatu, & sanguinis fluxu contraxerat Dominus. Multum enim possunt dolores ad commovendam sitim, qvia innatum calorem exagitantes, qvod in profunditate humidum est consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera urunt, ut loquitur Cyrillus. Facit huc, qvod est in Ps. *XXII. Aruit, ut testa, Virtus mea*, id est, omnis vigor corporis absumtus est, ita ut defectu humidi radicalis corpus sit aridius testa, quæ calore ignis vel solis siccatur. Ipse R. Aben Ezra docet, per כוח intelligi humidum radicale, idque quia corporis robur est, *Virtutem* appellari. Notum certe est ex disciplina Anatomicorum, humiditatem quandam contineri in membrana περικαρδίῳ. Hæc humiditas est mador rori similis, irrigans & humectans cor ex perpetuo motu æstuans: & hac humiditate exhausta cor tabescere necesse est, sicut fieri solet in marasmo & vehementioribus affectibus: Mœrore vero exhauriri & absumi succum vitalem satis constat ex Prov. *XVII, 22.* quam exsiccationem conseqvitur sitis. Hinc Salvator protenus adjicit; *Lingua mea adhæsit faucibus meis*, sic ut siti vehementissima corripiatur, & præ nimia siccitate vix loqui qveat.

Indicatam autem hanc sitim voluit Christus, non ut solamen potus obtineret, qvod sibi negatum iri præsciebat, sed partim ut humanæ naturæ, suppliciique veritatem patefaceret, cujus naturales effectus patiebatur; partim ut etiam istud, quod Pater ex prævisa Judæorum malitia ei patiendum decreverat pateretur, cujus occa-

 sionem

Comm. in Joh. XIX, 28 ſionem eis juſta de cauſa offerre voluit, ut loquitur Doctiſs. Janſenius.

LXXIV.

CONSUMMATUM EST.

Qui de Redemptione generis humani conſummationem hanc intelligunt, ſi inter redemptionis meritum & meriti applicationem diſtingvunt, nihil incongrui dicunt. Conf. Hebr. *X*, *14*. Qui ad decretum divinum, prædictiones Propheticas, & typos legales conſummationem hanc reſtringunt, non abſolute, ſed cum addito explicent neceſſe eſt, ſcilicet de iis, quæ ante mortem implenda decreverat Pater, prædixerant Prophetæ & adumbrarant figuræ. Alias enim multa adhuc poſt mortem reſtabant perficienda, quæ decreta, prædicta & præfigurata erant; nimirum ſepultura, deſcenſus ad inferos, reſurrectio poſt triduum, adſcenſio in Celum, miſſio Spiritus S. in Apoſtolos. Simpliciſſime explicatur; *Finis adeſt paſſionum.* Certe apud τοῖς ἔξω proverbiale eſt in hoc ſenſu. Homerus;

Τά δὴ νῦν πάντα τελεῖται.

Philoxenus moriturus apud Comicum; Τέλος ἔχει τὰ πάντα μοι Conf. *II.* Tim. *IV*, *7*. In Latio apposite dixeris; *Peractum eſt.* Ita enim in ſimili loquitur Seneca; *Habet, peractum eſt. Quercus hanc ſortem mihi Vatidica quondam dederat.* *In Herc. Oetæo.* At, dixeris; necdum Salvator mortuus erat, cum tamen mors tanquam malorum omnium ultimum non poſſit è paſſionum numero excludi. Sed quis ignorat, ſæpe ea quæ in proximo ſubeunda ſunt, cum iis quæ jam facta erant computari, & id quod jam in eo

eſt, ut pene effectum ſit, factum dici? Præteritum poni pro proxime futuro, frequentiſſimum eſt in N. Teſtamento. Sic Matth. *V*, 23. ἐὰν οὖν προσφέρῃς, *ſi jam jam ſis oblaturus*. Luc. *XVII*, 12. εἰσερχομένου δὲ αὐτοῦ εἰς τινα κώμην, *cum jam jam intraturus eſſet*. *Cap. XXIII*, 54. Σάββατον ἐπέφωσκε, *in eo erat, ut brevi illuceſceret*. *XXIV*, 48. ὑμεῖς δὲ ἐστε μάρτυρες, id eſt, ἔσεσθε, ut idem ipſe Lucas interpretatur Act. *I*, 8. conf. Joh. *IV*, 21 Fortaſſis etiam ideo mors Chriſti paſſionibus ejus non accenſetur, quia placida fuit & ſine ullo doloris ſenſu.

LXXV.

ULTIMUM SUSPIRIUM.

Ultimum Chriſti viventis Verbum hoc erat; Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Qvi *Patrem* Deum vocat in ultimo ſuſpirio, fiduciam filialem ſe nunquam depoſuiſſe ſignificat. *Manus DEI* notat id, qvod noſtra manu qvaſi figuratur, 1. *fidelitatem*. Exod. *VI*, 8. quod nos, manu porrecta dicimus; En dextra, fideſque. 2. *Benignitatem* Pſ. *XXXVII*, 24. qvam nos miſeris opem laturi manu exhibemus. 3. *Potentiam* ſeu *robur*. Deut. *IV*, 34. qvod nos exſerto brachio demonſtramus. 4. *Tutelam* Deut. *XXXIII*, 3. qvam nos extenſa manu præſtamus. Manus ergo DEI hoc loco deſignat tutelam fideliſſimi, benigniſſimi & potentiſſimi Patris. Per *Spiritum*, qvem Patri commendat Dominus, animam ſuam rationalem intelligit, qvæ ob ſpiritualem ſuam eſſentiam, & qvia ultima ejus in corpore adhuc vivente actio eſt ſuſpiratio, *Spiritus* dicitur.

Verbum Παραθήσομαι emphaticum eſt. Qui vertunt,

deponam, meo judicio haut errant. *Depositum* vocatur, qvod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo qvod *ponitur*. Præpositio *de* auget positum, & ostendit, totum fidei ejus esse commissum, qvod ad custodiam rei pertinet. Undè *depositarius* is est, apud qvem aliqvid deponitur. Deus certè depositarius optimus est ac fidelissimus, qvi qvæ sibi concredita sunt suo tempore reddit. Simili modo *semen depositum* dixit Lactantius vel qvisqvis auctor est. Est figura, qvâ ea, qvæ duriora videntur, molliora fiunt, qvâ Themistocles Atheniensibus persvasit, ut urbem apud Deos deponerent, vel ut Plutarchi verbis utar, τὴν πόλιν παρακαταθέσθαι τῇ Ἀθηνᾷ τῶν Ἀθηναίων μεδεούσῃ. Ceterum significat hoc verbum in genere patrocinio, curæ ac tutelæ alterius aliqvid commendare. Act. *XIV*, 23. *XX*, 32. in specie α committere aliqvid alterius custodiæ, qvod & *deponere* dicimus. Ita παραθεῖναι sumitur de pecunia depositi loco alicui concredita. Tob. *IV*. ιϛ. & παρατιθέμενα de iis, qvæ sub fide silentii alteri sunt commissa. Prov. *III*, ι.β. reponere instar thesauri. *II*. Reg. *V*, 24. Indicat hoc verbo Dominus, ultro se, vi nulla adactum, mortem subire, spe resurrectionis mox secuturæ; Nam deponere ejus est proprie, qvi Dominium rei habet: Christus autem ἐξουσίαν εἶχε θεῖναι τὴν ψυχὴν καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτὴν, ut ipse apud Johannem loqvitur. Deponimus etiam ea, qvæ servari, non deperdi volumus. Verbo ergo deponendi *insinuat se illum* (Spiritum) *repetiturum*, *Depositum enim iterum assumitur*, inqvit Theophylactus.

in carm. de resurr.

In Matth. XXVII.

Nec tamen reprehensionem meretur ullam Vulgatus, qui vertit; *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Verbum enim *commendandi* extremo vitæ tempore.

pore usitatum. Cicero; *Filios suos parvos tutelæ populi Romani commendaret.* Et alibi; *Nam ista commendatio puerorum memoria & charitas patriæ.* Loqvitur de Testamento Epicuri, qvo Metrodori liberos commendaverat. Alibi; *Et is qvi morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset.* Hirtius de bell. Afr. *Ipse omnibus rebus diligentissimè constitutis, liberis suis L. Cæsari commendatis, ferrum in cubiculum tulit atque ita se trajecit.*

de orat. II. de fin. II. Offic. III.

LXXVI.

MORS SERVATORIS.

Hanc descripturus Johannes, καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν παρέδωκε τὸ πνεῦμα, inqvit, *c. XIX, 30.* Cur inclinato capite? ut volentem se mori, amantemque testetur. *Nos priùs exspiramus, deindè caput inclinamus; ille verò prius inclinat, posteà exspirat: qvod ipse est mortis Dominus, & pro arbitrio suo facit omnia*, inqvit Theophylactus. Athanasius qv. XL ex iis quæ in Scripturam, si tamen genuinæ sunt, vult qvasi trepidasse mortem ad conspectum Servatoris, & substitisse tanquàm accedere veritam; inclinatione verò ac si nutu quodam à Domino invitatam accessisse fecisseq; qvod facere erat jussa.

in cap. XIX. Joh.

Idem innuere videtur verbum παρέδωκε. *Emisit & benè tradidit*, ait Ambrosius, *Qvod enim emittitur voluntarium est.* En qvi in cruce moritur, mortis dominum! *Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit?* verba sunt Augustini.

lib. X. in Luc. Tract. CXX. in Joh.

Quid per *Spiritum*, quem moriturus tradidisse dicitur Dominus, intelligatur, dictum supra est. Athanasius

orat. de hum. nat.

deles qvosqve intelligit, *in eo*, inqviens, (spiritu) *omnes homines apud Patrem deponit ac commendat, per ipsum & in ipso vivificandos.* Eâdem planè ratione exponit Anselmus, qvando, *in hac*, ait, *commendatione cum hostia sanguinis commendabat Christus Deo patri matrem dulcissimam, quæ scrinium est & purissimum habitaculum Spiritus S. unà cum hominibus, qui de Spiritu S. victuri sunt, usque ad finem seculi.* Videant, inqvit Franciscus de Mendoza, *justi, quo in loco à Deo collocentur, quanto in pretio habeantur! Anima Dei sunt, quâ Deus præsente sibi vivere; quâ recedente sibi mori videatur. Quoties peccando se Deo subtrahunt, toties suam Deo animam eripiunt, & animam eripere necare est: videant, ne, quoties peccando se Deo subtrahunt, toties Deum necare aggrediantur.* Pia hæc, sed à litera prorsùs aliena.

dialog. de paßion.

in libr. Reg.

LXXVII.

SOL IN LUCTU.

Deo in terris patiente σκότ⊙ ἐγένετο. Nimirum

- - - - *Ore cruento*
Deformes Titan vultus caligine texit
Et lucem sceleri subduxit - - - -

Consideranda in Eclipsi hac veniunt Tempus, Locus, Modus, Causa efficiens, Finis.

In adsignando *Tempore* non satis convenire videntur Evangelistæ. Nam Johannes *c. XIX, v. 14.* scribit, Christum fere hora sexta à Pilato productum, & Judæis ostensum his verbis; *Ecce Rex vester!* postea demum condemnatum, traditum, ad locum supplicii deductum, irrisum & crucifixum, ut patet ex Matth. *XXVII*, 31. quibus actibus sane tempus præterfluxit non modicum; Et

tamen Marcus ſcribit, tenebras exortas eſſe hora 6. cum jam Chriſtus in cruce penderet, ſubinnuens, qvaſi per iſtos actus nihil temporis præteriiſſet! Sed recte notat Svarez, ly QUASI *minuere* interdum, interdum *addere*. Minuit, qvando indicat horam nondum inceptam; addit, qvando horam indicat paulo ante tranſactam. Johannes igitur loquens de productione Chriſti à Pilato, intelligit horam ſextam *appropinquantem*; Marcus de tenebris verba faciens horam ſextam *paulo ante præteritam*. Ita explicant Matthæus & Lucas; Quorum ille tenebras factas narrat *ab hora ſexta*, c. *XXVII*, 45. Hic fuiſſe *quaſi ſextam* indicat, hoc eſt, tempus parvo intervallo diſtans ab hora ſexta præterita *c. XXIII, 44.*

Tom. II. in III. part. Thom. Diſp. XL. q. L. art. V. ſect. 7.

Locum Marcus & Lucas determinant, qvando memorant, fuiſſe σκότος ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Per *terram* ὅλην, ſeu ut apud Matthæum legitur, πᾶσαν, Beza intelligit univerſam Judæam. *Familiare eſt*, inquit, *ſacris ſcriptoribus, terræ appellatione, etiamſi nihil adjiciatur, intelligere terram Chanaan, & γῆν pro χώραν reperimus alibi, ut Matth.* IX, 26. *& Luc.* IV, 25. *Confert autem hoc ad prodigii novitatem, ſi intellexerimus non modò in plenilunio accidiſſe hanc ſolis eclipſin, ſed etiam reliqvum orbem illuſtrante ſole, atque adeo ipſo meridie, hunc unum orbis terrarum angulum, in quo tantum facinus patrabatur, in denſiſſimis tenebris delituiſſe. Videtur autem hoc opponi miraculo prorſus contrario, cum tenebris Ægyptios obtegentibus, Iſraelitis ſolis in terra Goſen ſol luceret; tum videlicet Ægyptiis quidem imminens exitium, ſuis vero partam libertatem, DEO ſignificante: nunc vero contra, Judæis quidem miſerrimam illam cæcitatem, qua nunc quoque puniuntur, cœteris vero populis mox exorituram Evangelii lucem celitus denuntiante.* Bezam ſectatur Voſſius;

fius. Sed obstat (1) qvod in N. Testamento perpetuò ὅλη ἡ γῆ universaliter accipiatur, nisi α qvando de fæcundis vel infœcundis partibus, aut similibus terræ differentiis sermo est, ubi manifeste partialitatem concipere necesse est, ut Matth. *XIII, 5.* Marc. *IV, 5.* β qvando limitatio talis adjicitur, qvæ partialitatem inducit, sive sub Nomine proprio, ut Act. *VII, 11.* Hebr. *VIII, 9.* Matth. *II, 6.* Joh. *III, 22.* sive sub appellativo, aut qvalicunqve descriptione Act. *VII, 33.* Hebr. *XI, 9.* Matth. *IX, 26. 31.* (2.) quod etiam in Ægypto sibi conspectam tradit hanc Eclipsin Dionysius, qvem vocant Areopagitam. Quod tamen non usque adeo urgemus, quandoquidem Epistolas Dionysianas pro ὑποβολιμαίαις habent Cl. Vossius & eruditi alii.

Epist. ad Polyc. & Apolleph.

Universam terram occupasse has tenebras mihi fit verosimilius. Nam Verba Scripturæ, cum non obstat analogiæ Fidei, nec absurditas ulla metuenda, simpliciter, prout stant & jacent, accipi debent. Præterea omnis miraculi ratio exspirat, si soli Judææ tenebras hasce vindicemus: potest enim fieri multis ex causis, ut tenebræ certo in loco oboriantur. Per *universam terram* autem intelligimus eam quæ solem supra Horyzontem habuit, & in qva Eclipsis hæc observari potuit. Quod Beza opponit; *Si fuisset universale hoc prodigium, esset procul dubio omnium Astrologorum monumentis celebratum*: nihili est argumentum. Nam 1. silentium Historiographorum Ethnicorum nihil præjudicat veritati. *Potuit hoc contingere*, inquit Thomas, *quia Astrologi non solicitabantur de observanda eclipsi, quia tunc eclipseos tempus non erat, sed illam obscuritatem ex aliqua passione aëris accidere putarunt.* 2. Qui illo tempore res gestas scripserunt, vix ulli supersunt.

Part. III. qv. XLIV. art. 2.

ſunt. Qui vero ſecuti ſunt, compendio geſta perſtrinxerunt, ſceleribus hominum narrandis intenti. 3. Nec tamen omnino Ethnicorū teſtimonio deſtituimur. Origenes (*a*) Phlegontem Hadriani libertum citat. Nec non Euſebius in Chronicis. (*b*) Tertullianus (*c*) hoc ſolis deliquium, quod *mundi caſum* vocat, Romanos relatum in *ſuis Archivis* habere teſtatur. Meminit quoque Auguſtinus. (*d*) Lucianus Martyr Presbyter Antiochenus provocat ad *annales Ethnicorum*, apud Euſebium. (*e*) Oroſius (*f*) *aliquantos Græcorum libros* Eclipſin hanc atteſtari memorat.

(*a*) *Tract. XXXV. in Matth.*
(*b*) *ad Ann. Dom. Paßion*
(*c*) *Apol. c. XXI.*
(*d*) *III. de Civ. DEI, c. 15.*
(*e*) *lib. IX. Hiſt. Eccleſ. c. 6.*
(*f*) *libr. VII. c. 3.*

De *Modo* nulla fere inter eruditos controverſia. Fuiſſe ſupernaturalem hanc Eclipſin perſvaſi ſumus, 1. Quia non accidit in Novilunio, ſed in Plenilunio, Luna non inter ſolem & nos interjecta, ſed ex adverſo ſolis ſtante. 2. Quia non totalis tantum fuit, ſed & univerſalis. 3. Quia facta fuit cum magna mora, durans à meridie horis integris tribus. Plures rationes affert Cl. Schmidius, ſed in Dionyſio fundatas, quem quia pro ſpurio habent Viri docti, compilare iſtas & tueri hoc loco ſuperſedemus.

Quod ad *cauſam efficientem* attinet, vix probatur nobis ſententia eorum, qui αὐτοψίᾳ Dionyſii Areopagitæ ſeducti, Eclipſin hanc per poſitionem Lunæ inter Solem & terram factam volunt. Cum enim in plenilunio Luna ſit ex adverſo ſolis, eam è loco ſuo accuriſſe ad Solem, ſeque inter Solem & Terram conſtituiſſe, atque ita effeciſſe eclipſin proprie dictam, & œcumenicam, qui non videt abſurdum eſſe, cæcutit. Nec etiam denſiſſima nubes corpori ſolari obducta, ut ſentire videtur Origenes, eumque ſecutus Sedulius; Nec maculæ ſola-

res, quæ in disco solis medio apparent visentibus per telescopium, sive tubum Batavum, quod pro verisimili habet Doctiss. Vossius; Eclipsin *proprie dictam* & *universalem* efficere potuerunt. Tutissime omnium creditur, obscurationem eam contigisse ex retractione radiorum Solarium. Obscuratum enim fuisse Solem Lucas expresse testatur, si non in se, per amissionem lucis; Tamen respectu terræ, cui lumen suum subtraxit. Confirmat me in hac sententia auctoritas Patrum, Cypriani, Chrysostomi, & Hieronymi, quorum ille, (*a*) *Sol*, inquit, *ne Judæorum facinus adspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahit.* Iste, (*b*) *Non poterat ferre Creatura injuriam creatoris, unde Sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.* Hic; (*c*) *Videtur mihi luminare majus retraxisse radios suos.*

(*a*) *Serm. de bono patient* (*b*) *Sermon. de passion. in caten.* (*c*) *ad cap. XXVII. Matth.*

Finem denique quod concernit, voluit DEUS obscuratione hac ostendere, quantopere aversaretur Judæorum scelus, quod nec creatura irrationalis intueri velit aut queat. Nam apud omnes populos receptum erat, ut crederent obscuratione ejusmodi scelus aliquod insigne patratum indicari. Seneca in cœna Thyestea;

- - - *O nos dura*
Sorte creatos, seu perdidimus
Solem miseri, sive expulimus.

Et Phædra;

- - - *Tuq; sidereum caput,*
Radiate Titan, tu nefas stirpis tuæ
Speculare?

Etiam quia lux lætitiam parit, tenebræ tristitiam; naturam ipsam ex συμπαθείᾳ quasi tristari hac obscuratione indicatum. Conf. Amos *VIII, 9. 10.* quod hic impletum.

Ut

CCXI.

Ut taceam, notari sicut tenebris olim Ægypti Ægyptiorum, sic obscuratione hac cæcitatem Judæorum.

LXXVIII.

VELI RUPTURA.

Tres fuere templi Judaici partes: atrium, in quo populus; Sanctum, in quo sacerdotes; Sanctum sanctorum, quod solus ingredi poterat summus sacerdos; Ita quoque Mosis temporibus tria fuerunt aulæa, extimum τῆς αὐλῆς. Exod. *XXVII, 16.* medium τοῦ ἁγίου Exod. *XXVI, 36.* intimum τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων Exod. X*XVI,* 31. quod ultimum καταπέτασμα τοῦ ἀδύτου appellatur à Flavio Josepho. (*a*) In templo Salomonis & quod ei surrogatum vice extimi aulæi fuit porta, Philoni προπύλαιον dicta. Hinc duorum tantum velorum mentio fit alibi apud eundem Josephum. (*b*) Et hinc auleum adyto oppansum δεύτερον καταπέτασμα vocat divinus ad Hebræos scriptor, *c. IX, 3.*

Utrum velum ruptum fuerit, non satis constat. Hieronymus (*c*) & alii ex veteribus exterius intelligi volunt, quos sequitur Baronius, (*d*) fortasse, quia id omnibus stuporem incutere potuerit, interius nonnisi sacerdotibus, ut allegat hanc authorum rationem Adamus Contzen. (*e*) Contra Cyrillus (*f*) & alii de interiore, quod medium inter Sanctum & Sanctum Sanctorum pependit, explicant. Quæ sententia probabilior videtur, quia ab Evangelistis *velum* absolute & sine addito nominatur, quod de nobiliori & principaliori, καθ' ἐξοχὴν sic dicto accipere convenit. Certe velum quod adyto erat oppansum, proprie ac peculiaris discriminis causa καταπετάσματος nomen nude positum apud omnes

(*a*) *libr. VIII Antiq. c. 2.*
(*b*) *libr. VI. de Bell. c. 6.*
(*c*) *in cap. XXVII. Matt*
(*d*) *Ann. XXXIV. num. 126.*
(*e*) *in Matth. c. XXVII, v. 51.*
(*f*) *libr. XII in Joh. c. 37.*

obtinuerat. Apud Philonem de vita Mosis, distincte auleum, quo penetrale defendebatur, καταπέτασμα vocatur, alterum oppansum templo sacerdotali κάλυμμα.

Cæterum in hac aulæi scissura & miraculum & mysterium agnoscimus. Densissimum fuisse constat, quia & firmioris erat materiæ, & figuras habebat intextas, nec ullo modo translucebat. Tale velum libere pendens nulla vi, ne vento quidem agitatum totum rumpi, ingens sane fuit miraculum. Mysterii hoc inerat, quod indicabatur finem imponi typis legalibus, scisso miraculose velo, quod inter typos eos illustrem obtinebat locum. Ἐσήμανε, inquit Theophylactus, τὸ καταπέτασμα σχιζόμενον τὴν τοῦ γράμματος νομικοῦ περιαίρεσιν. Præterea significatum fuit, reclusum esse per mortem Christi Celum, adeo ut nunc cuilibet illud pateat. Certe τὰ ἅγια τῶν ἁγίων designare summum illud Celum quod Majestatis divinæ propria velut est sedes, apud Judæos omnes erat

(g) libr. III. Ant. c. 5. confessum, ut ex Josepho (g) & Philone (h) constat.

(h) de vita Mosis. Apud Romanos autem hoc miraculum non obscure indicavit commissi in Christum facinoris atrocitatem. Philippus in Comœdia de Demetrio, quod se Diis æquari passus esset, verba faciens, inquit.

Δι' ὃν ἀσεβοῦντ' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος.

LXXIX.

TERRÆ MOTUS.

Terræ motum non in Judæa tantum, sed etiam in aliis locis fuisse, ex Phlegonte, Thallo, & Nicephoro probant Viri summi, Gerhardus & Grotius. Credibile est, Deum voluisse ostenti hujus memoriam etiam extra Judæam.

dæam exſtare. Deſignabat autem hic terræ motus tum iram divinam Judæis ob patratum ſcelus peſſima quæquæ minantem. Conf. Pſ. *XVIII, 8*. Joël. *III, 16*. Amos. *VIII, 8*. tum Majeſtatem Chriſti de cruce pendentis, ad quam contremeſcit terra. *Terra*, inquit Hilarius, (*i*) *ad onus Domini in ligno pendentis intremuit; eum qui moriturus erat intra ſe conteſtata non capere.* Fortaſſis etiam hoc terræ motu indicatum, prædicatione verbi crucis totum terrarum orbem commotum iri, ut prædixerat Haggæus, *c. II*, 7.

(*i*) *libr. III. de Trinit.*

LXXX.

SCISSURA PETRARUM.

Conſequens terræ motus erat *ſciſſura petrarum*. Certe terræ motum & ſaxa rupta conjungit David Pſal. *CXIV, 7. 8*. Nec aliter Seneca Troadibus;

Cum ſubito cæco terra mugitu fremens
Concuſſa, cæcos traxit ex imo ſonos:
Movere ſylvæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer:
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt jugis.

Significavit hæc petrarum ſciſſura, lapides non tam fuiſſe duros, quam corda Judæorum, quibus nihil obſtinatius. *O duriora ſaxis Judæorum pectora!* inquit Ambroſius, (*k*) *finduntur petræ, ſed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concuſſo.* Concepiſſe DEUM in Judæos iram non levem, ſed ingentem. *I.* Reg. *XIX, 11.* Nah. *I, 6.* abſcindi petram ſalutis de terra viventium Eſa. *LIII, 8. I.* Cor. *X, 4.* loqui lapides pro Domino ſuo contra hoſtes ipſius Luc. *XIX, 40.* *Acclamaverunt Judæi*, inquit Simon

(*k*) *libr. X. in Lucam.*

mon de Caſſia, *altiſonantibus vocibus Chriſti mortem, nunc vero petræ per ſciſſuras quaſi per aperta labia contra illos inclamitant.* Dura gentilium corda per concionem Evang. de Jeſu crucifixo emollitum iri, ut loquitur Hieronymus. (*l*)

(*l*) *Epiſt. CL. ad Hedib. qu. 8.*

LXXXI.

MONUMENTA APERTA.

Quando terra movetur & Petræ finduntur aperiri monumenta ſatis compertum eſt, ſiquidem tunc disjiciuntur vel etiam ſcinduntur marmora monumentis ſuperimpoſita. Ariſtides in deſcriptione terræ motus, quo Rhodus everſa eſt, μνήματα ἀνεῤῥήγνυντο, inquit. Sed cur aperta in morte Domini monumenta? Feſtivè Rupertus; *Cur moriente Domino & terra tremente monumenta Sanctorum aperta ſunt? videlicet, aut nihil idoneum, aut hoc reſpondebitur ſolùm, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, ut conjungeretur cum eis in ſepulcris* CORPUS HUJUS MORTUI, *quod afferebat reſurrectionem mortuorum, & idcircò ad ſuſcipiendum illud certatim, & avidè ſeſe dilataverunt.* Factam & ideò hanc monumentorum apertionem, ut pendens de cruce Servator mediâ in morte terrenorum & ſubterraneorum Dominus agnoſceretur, Iſidorus docet Peluſiota. Adde & ideò, ut appareret, ipſum διὰ τοῦ θανάτου καταργῆσαι τὸν τὸ κράτος ἔχοντα θανάτου *Ebr. II, 14.*

lib. I. in Deiut. c. 6.

lib. I. Ep. 253.

LXXXII.

SANCTI RESURGENTES.

Ex monumentis apertis exiere ſancti, fortaſſis non illi

antiqui Patres, Abraham, Isaak, Jacob, David, &c. sed recentiores, nimirum illi, qui è numero discipulorum Christi non ita dudum mortui ac sepulti erant. Certe nisi fuissent satis recenter mortui, non fuissent agniti ab illis, quibus apparuerunt, nec cognitum fuisset eos à morte redivivos. Credibile est, sanctos hosce, sicut Christum, non nisi bene notis apparuisse. At, inquies, quomodo apparuere, qui ob dotem claritatis humanis oculis videri minime poterant? Sane si dotem claritatis habuerunt, verisimile non est, eam oculos videntium influxisse, sicut nec influebat claritas corporis Christi post mortem per 40. dies apparentis: quia mortales oculi, si claritatem Solis non sustinent, quanto minus claritatem corporis Christi?

Cæterum in ipso mortis Christi articulo aperta esse monumenta, firmiter credimus. Eodem momento revixisse simul & resurrexisse sanctos vult Heinsius, sed nonnisi post resurrectionem Domini in urbe sancta palam sese exhibuisse. Veram & legitimam distinctionem textus arbitratur esse hanc; καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. Diserte Syrus; καὶ ἐξῆλθον, καὶ μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰς τὴς ἁγίαν πόλιν ἦλθον. Hieronymus contra, *Non antea*, inquit, *resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis*. Sed cum etiam in V. Testam. quidam à mortuis resuscitati fuerint, ideo non tam respectu temporis, quam efficaciæ & virtutis Christus dicitur primogenitus & primitiæ resurrectionis. Heinsii distinctio nova est, nec Codicum antiquiorum nititur auctoritate. Vero similius est, vi mortis Christi mortuorum claustra aperta, & vi resurrectionis ejusdem

mortuos

mortuos excitatos esse. Præterea si demum post resurrectionem Christi apparuerunt, videtur quoque quod non ante resurrexerint. Finis enim resurrectionis erat, ut apparendo hominibus testarentur Christi resurrectionem. Quod autem hoc loco resurrectionis meminit Evangelista, per prolepsin factum, tantum ex occasione, quia loquebatur de monumentorum apertione; sicut supra occasione eorum quæ narrat de pœnitentia Judæ & relatis argenteis, subjungit consilium de agro empto, cui tamen in istis turbis locus nullus erat.

Quod in sanctis his impletum est, id suo in nobis sperare debemus implendum tempore. Undè sanctos hos pereleganter Theodoretus vocat *obsides resurrectionis nostræ*. Sed de resurrectione alibi. Crediderim autem sanctos hosce non iterum mortuos, ut vult Augustinus, sed cum Christo adscendisse in cœlum, quæ sententia B. etiam fuit Lutheri.

Cent. I. Quæst. illustr. Theol.

LXXXIII.

CIVITAS SANCTA.

Mortui qui resurrexerant *introiisse civitatem* dicuntur, quia sepulcra extra civitatem erant. Quod non Judæis tantùm, sed & τοῖς ἔξω in usu. Lex XII. Tabularum fuit; *In urbe neq; sepelito, neq; urito.* Trajanus Imperator primus intra urbem Romam sepulcrum constituisse scribitur ab Eutropio (*a*) & Aurelio Victore (*b*)

Per ἁγίαν πόλιν Scriptores Sacri intelligunt Hierosolymam Esa. *XLVIII*, 2. Dan. IX, 24. quæ *sancta* vocatur ob cultum divinum, opposite ad Urbes alias inter gentes, in quibus Idoleia exstructa, & dii falsi adorati. Notat hoc

(*a*) libr. VIII.
(*b*) In vit. Traj.
(*c*) Epist. CL. qv. 8.

hoc Hieronymus, (c) qvando, *Sanctam*, inqvit, *Civitatem Hierosolymam debemus accipere, ad distinctionem omnium civitatum, quæ tunc idolis serviebant: In hac enim sola fuit templum, & unius DEI cultus, & vera religio.* Qvod vero *sancta* dicitur, eo tempore, quo erat sedes impietatis & injustitiæ, scelerum omnium lacuna, factum fortassis κατ' δόξαν Judæorum, Hierosolymam urbem sanctam & credentium & vocantium, quod hodienum in nummis antiquis videre est. Siclorum communium inscriptio vetus ex una parte erat, ירושלים עיר הקודש *Jerusalem urbs sanctitatis.* Sic sæpe Scriptura ex sensu loqvitur non suo, sed nostro. Præterea λεῖμμα adhuc qvoddam χάρακτος divinæ cum reliqviis Sanctorum in urbe illa exstabat, propter quod sancta forte dicitur. Insuper res aliqua denominatur subinde non ab eo qvod est, sed ab eo qvod fuit.

LXXXIV.
TUNSIO PECTORIS.

Eos, qvi mortis dominicæ spectatores fuerant, domum reversos, cum prodigia cernerent, in stuporem datos *pectora sua tudisse*, memorat Lucas, *c. XXIII. 48.* Nimirum *cum loqui non auderent propter timorem Principum, percutiebant pectora sua, significantes dolorem interiorem,* inquit Evthymius. Hic mos orantium apud Veteres & peccata deprecantium, verberare pectus tum in peccatorum, quorum sub pectore fons est, detestationem, qvia ubi dolor, ibi manus, tum in cordis lapidei tunsionibus emollitionem. Exemplum in Scriptura Publicanus præbet Luc. *XIIX*, 13. Audiatur etiam Hipponensium Præ- *in Job. VIII.*

in Psal. CXLVI. um Præsul Augustinus, qui, *Tu cor tuum*, inqvit, *dirigere non potes, tu frange, & tum Deus diriget. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? confitendo peccata tua. Quid aliud significat* PECTORUM TUNSIO, *nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum cædimus & tundimus pectus? sed significamus, nos cor conterere ut à Domino dirigatur. Pectus percutimus, ut significemus nos nequitiam egisse, idque displicere nobis, & ideò antequam Deus feriat & ultio extremi judicii nos corripiat, nosmetipsos ferimus.* Idem alibi; *TUNDERE PECTUS quid est nisi arguere quod latet in pectore, & palam occultum castigare peccatum?* Coætaneus Augustini Hieronymus in tundendo, dum funderet preces, pectore tam fuit assiduus, ut propterea in hunc usque diem *pugno ad pectus appresso* pingi sculpivè soleat. Ipse crebram hanc pectoris sui tunsionem, cum juxta Bethlehem in claustro viveret, in Epist. ad Evstochium Virginem recenset. Plura apud Cl. Hildebrandum.

serm. IIX. de verb. XLVIII. de temp. III. de divers.

de rit. orand. ap. veter.

LXXXV.

CRURIFRAGIUM.

Apud Romanos iis qvi damnati erant mori in cruce, qvæ lenta mors, interdum accidebatur mora supplicii, sed compensatione non exigui cruciatus, id est, crurifragio, ne de pœnæ gravitate aliquid decederet. Cæterum, cur iis quos statim mortuos voluerunt, suffregerint crura causam nonnulli sumunt ex Plinio libr. XI. c. 45. qui, Inest cruribus, inquit, vitalitas. Namque in ipsa genu utriusque commissura dextra lævaqve parte, gemina qvædam buccarum inanitas inest, qua perfossa, seu jugulo, spiritus fugit. Rectius dixeris, causam fu-

iſſe hanc, qvòd confracta oſſa pungant continuò nervos, adeoque inevitabiliter convulſiones lethales inducant. Erat alioqui *crurifragium* pœna diſtincta à cruce, nec neceſſario cum crucifixione conjuncta, nec ſemper conjungi ſolita, niſi apud Judæos, (quando apud illos ſupplicio Romano aliquis afficiebatur,) qvibus feſtinanda ſuſpenſis mors fuit, ne fraus legi fieret, quæ juſſerat ad ſolis occaſum ſuſpendioſos deponi. Inter gentiles crucifixi pendebant usque dum morerentur, imo etiam corrumpi in cruce paſſi ſunt, & ſepelire nefas duxerunt, addita cuſtodia ne quis detraheret. Diſtinctum ergo à cruce erat crurifragium & ſatis immane ſupplicii genus. Incus enim parabatur una cum vecte ac malleo ferreo: jubebantur tibias imponere incudi, quas Carnifex vecte vel malleo validis ictibus ſuffringebat. Meminit hujus ſupplicii Plautus, (*a*) dum ait; *Ex Syncerasto crurifragum fecit.* Cicero (*b*) *Opinor*, inquit, *iis crura ſuffringantur.* Polybius de eadem ſæviſſima pœna prolixe agit. Irrogari autem ſolebat ejusmodi ſupplicium vilioribus tantùm perſonis, ſervis nimirum & ancillis. De Nerone Svetonius; *Fertur in ſacrificando quondam captus facie miniſtri acerram præferentis, nequiſſe abſtinere, quin, penè vix dum re divinâ peractâ, ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret, ſimulque fratrem ejus tibicinem: atque utrique mox, quod mutuò flagitium exprobrabant, crura fregiſſe.* Erat & publicum maleficorum hominũ & immane-peccantium ſupplicium, ut delatorum ſub Commodo. Servus Apollonii Senatoris Domini ſui delator ex Senatûs ſententia crurifragio peremtus eſt. Euſebius; ὁ Δείλαιος παρὰ καιρὸν τὴν δίκην εἰσελθὼν, αὐτίκα κατήγνυται τὰ σκέλη. Ex Agathia ſimile quid refert Caſaubonus.

(*a*) *Pœnulo.*
(*b*) *pro Roſc. Amer.*
lib. III, c. 44.
lib. V.

 Si qvæ-

Si quæras; Cur Servatori non sint effracta crura? respondet Lactantius, *ne læsum ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur*. At non est hæc sufficiens ratio. Deus enim, qvi potuit creare corpus, mutilum etiam supplere valebat. Veram rationem reddit Johannes *c. XX.* quia nempe prædictum erat ossa ejus integra mansura, idemque præfiguratum in agno paschali.

LXXXVI.

MILITES CRURIFRAGII MINISTRI.

στρατιώτας eos vocat Johannes, hoc est, *milites c. XIX*, 32. At Patres uno ore *carnifices* appellant. Tertullianus; *Apol. c. XXI.* *Spiritum cum verbo sponte dimisit* (Christus) *prævento carnificis officio*. Origines; *lib. III. cont. Cels.* *Emisso clamore magno, exhalavit Spiritum, priusquam carnifices crura crucifixorum frangerent.* *lib. IV. c. 26.* Lactantius; *Suffixus itaque Christus, cum Spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putarunt ossa ejus suffringere.* Nimirum apud Romanos milites sumendis pœnis destinati puri puti erant carnifices. Ambrosius Martyrii B. Agnetis ministros nunc milites vocat, *lib. de Virg.* nunc carnifices; *Hæc inter cruentas carnificum impavida manus: hæc stridentium gravibus, immobilis tractibus catenarum: nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus: mori adhuc nescia, sed parata, vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus atque in ipsis sacrilegis focis tropbæum Domini signare victoris.* *l. c.* Hinc *miles* pro *carnifice* apud Tertullianum, quando, *In reos*, inquit, *Majestatis & publicos hostes omnis homo miles est*, id est, *carnifex*. Etiam Judæorum Reges executionem capitalis supplicii militibus

bus olim committebant. Salomon *I. Reg. II.* Banajæ præcipit, ut damnatos jam morte Joabum occideret & Adoniam. Saul emissariis suis, puta militibus mandat *I. Sam. XXII, 27.* ut sacerdotes morti destinatos interficerent. Vides ergò quàm bellè concordent cum Scriptura Patres.

LXXXVII.

FORAMEN PETRÆ VIVENTIS.

De Milite qvodam refert Johannes, quod lanceam per latus Domini demortui transmiserit, (Hæretici enim qui Christo adhuc vivo latus dixere apertum in Concilio Viennensi refutantur *c. X. de Trin. & Fid. Cathol.*) fortassean ut experiretur, an vere animam exhalasset, atque ut si quid mansisset in illo Spiritus, ea transverberatione lateris hauriret. Certè, si, quid superfuisset vitæ, id contractio membrorum ex sensu tanti vulneris satis superque indicasset. Vulgatus apud Johannem videtur legisse ἤνοιξε, quia vertit *aperuit*, qvasi sit ab ἀνοίγω, nisi fortè ad sensum attendit magis quàm literam. Sed in omnibus codd. hodie est ἔνυξε, *pupugit, vulneravit*, nempe à νύττω. Videtur tamen etiam Augustinus deceptus, qui, *Vigilanti verbo*, inquit, *Evangelista usus est, ut non diceret; Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit. Ut illinc quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverant, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur.*

Miles perfossor lateris *Longinus* dicitur in Martyrologio Romano. Prope Lugdunum quoque ad conflu-

Interea Rhodani & Araris in fano S. Mariæ Insulæ Barbarorum, ut vocant, Epitaphium militis legi hoc nomine.

QUI SALVATORIS LATUS IN CRUCE
CUSPIDE FIXIT
LONGINUS, HIC JACET.

(e) *de lat. Christ. aperto. p. 65.*

refert Thomas Bartholinus. (e) Sic nomen fuerit Romanum. Nam Romanis notum nomen *Velii Longini* Grammatici, & *Dionysii Longini* Rhetoris. At probabilius est, militem, cujus nomen nesciretur, à λόγχῃ qua aperuit Christi latus, *Longini* nomine donatum esse. An Eques fuerit, an Pedes? disquirunt Docti. Qui miram Crucis altitudinem somniant, eqvitem fuisse necesse est statuant. Certe in Evangelio lingua Persica edito à Xaverio, Societatis Jesu Theologo, eques appellatur, nec non ab iis, qvi Scripturam Bohemica reddiderunt lingua. Sed multum metuo, ne altitudine illa crucis sint decepti. Apud Romanos cruces non adeo sublimes fuisse erectas, supra dedimus probatum. Præterea in Evangelio Græco miles ille qvi Christi latus aperuit, dicitur fuisse εἷς τῶν στρατιωτῶν. At eo tempore στρατιώτης non dicebatur absolute nisi de pedite, cum equites semper ἱππεῖς Græce vocarentur. Custodiæ etiam reorum non committebantur eqvitibus sed peditibus. Ipse miles eadem catena vinctus ligabatur cum reo qvem custodiebat, & *custodia* vocabatur. A peditibus qvoqve asservabantur cruciarii, non equitibus.

In not. ad Tert. de coron. milit.

Instrumentum, qvod per latus Christi adegit miles, vocatur λόγχη. Et ita legunt Codices omnes tam Msti quàm impressi, qvos qvidem vidisse Viris doctis licuit, ut frustrà sit Pamelius, dum contendit castigandos esse vulgatos Codices græcos legentes non λόγχῃ sed

λόγχα.

λόγχει. Vocem Græcam retinet Syrus, ſuo tamen more ad Syriſmum inflexam paululum לוכיתא. Julio Polluci (*f*) *λόγχη* eſt *τὸ προῦχον σιδήρεον τοῦ δόρατος*, *pili ferrum prominens*, ſeu *cuſpis*. (*f*) *lib. X. Onom. c. 3.* Nec aliter Heſychius, *λόγχη, ὁ τοῦ δόρατος σίδηρος*. De haſta ergo curta cum ferri cuſpide venit intelligendus Johannes, quam etiam referre dicitur figura cuſpidis Romæ inter theſauros Vaticanæ Baſilicæ aſſervata. Eo quoque tendit Nonnus, quando *καταχρηστικῶς* pro *λόγχη* ponit *μάχαιραν* fruſtrà ob id caſtigatus ab Heinſio, Nam *μάχαιραν* ſumit pro *cuſpide* ſeu *ferro lanceæ*. (*g*) *libr. IV. Aen.* Nempe ſimili licentia ac pro cultro longiori *enſem* poſuit Maro (*g*)

- - atq; illi ſtellatus jaſpide fulva
Enſis erat. - - - -

Ad quæ verba Servius; *Enſem pro cultro longiore debemus accipere, ſtellatum autem pro acutis æneis vinctum.* Apud Græcos quoque *μάχαιραι* pro cultris coquorum, chirurgorumque majoribus veniunt, ut advertit Pollux. (*h*) Budæus etiam vertit, *μάχαιρα, ſica, culter.* (*h*) *libr. VI. Onom. c. 13. l. X, 23.*

De *Latere* quæritur, quodnam fuerit perfoſſum, an dextrum, an ſiniſtrum, an vero utrumque? *Perforata latera* dicit Theodoretus, (*i*) Fere convenit Prudentius, qui in Paſſione Chriſti; (*i*) *Dial. II.*

Trajectus per utrumq; latus laticem atq; cruorem
Chriſtus agit; ſangvis victoria, lympha lavacrum eſt.

Et alibi;

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroq;
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.

Idem videtur colligi poſſe ex Revelationibus Brigittæ, (*k*) quæ, *In corde punctus erat*, inquit, *tam amare & immiſericorditer, quod pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam,* (*k*) *libr. II. c. 21*

stam, & ambæ partes cordis essent in lancea. Sed alibi; (l) *Inflixit lanceam in latere ejus dextro.* Existimavit fortasse, quod etiam probat Lapidensis, (m) lanceam militis adactam per dextrum Christi latus, transiisse per pericardium, atque cuspidem ejus exiisse per latus sinistrum ad papillam. Et Leo Magnus (n) vocat *vulnera lateris*, sine dubio per synecdochen numeri sacris etiam Scriptoribus usitatam. Unius solum lateris fit mentio apud Evangelistam. Dextrum latus transverberatum legas apud Ivonem Carnutensem, (o) Innocentium III. (p) Xaverium, (q) Chifletium, (r) Bonaventuram, P. Tarnovium, Fr. Collium, Casp. Barlæum & alios. Postremus hic Christum in cruce pendentem sic compellat;

(l) libr. VII. c. 15.
(m) in Joh. XIX, 33.
(n) Epist. XCIIV, c. 3.
(o) Epist. CCXXXV.
(p) libr. II. de Sacr. alt. c. 54.
(q) in Hist. Persic.
(r) de linteã. Christi.

Dextra tibi perfossa riget, mea sola scelesta est,
Nec sentit pœnam noxia dextra suam,
Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat;
Debentur lateri vulnus, & hasta, meo.

Etiam in sacra Sindone, quæ Augustæ Taurinorum asservatur, vulnus lateris conspici in parte sinistra referunt, idque indicio esse, vulnus esse acceptum in latere dextro, quia linteum, quod corpori circumvolutum imaginem Christi recepit, à sinistris id repræsentet. Sinistrum latus perfossum volunt Gerhardus, Fullerus & alii. De neutro latere satis constare vult cum Gretzero (s) Cl. Vossius (t) Nimis impudentes vero pictores isti censendi, qui vulnus hoc sub mammilla expresserunt, quos frustra tuetur Daniel Mallonius, (u) accurate autem refutat Lucas Brugensis eo, quod Evangelista clare dicat, *latus* fuisse apertum.

(s) libr. I. de Cruce c. 34.
(t) Harm. Evang. libr. II. c. XI, § 14
(u) Cõm. in Paleoti Hist. de Chr. Stigm. c. 11.

LXXXVIII.

FONS VITÆ;

Ex latere Christi aperto aqua & sanguis effluxerunt. Ex pectoris cavitate derivant latices hosce divinos post Abulensem Caspar & Thomas Bartholini, Medici experientissimi. At sic non fuerit aqua mera & elementaris, sed ὑδατῶδες αἷμα, sanguinis serum, seu humor aquaticus. Perstringit hanc sententiam Hyeronymus Bardi in literis ad Cl. Bartholinum datis. Certe temperies Christi perfectissima ab humorum cruditate immunis quam maxime fuit, nullis rheumatismis obnoxia, nulliusque morbis. Et quanquam in durissimis cruciatibus probabile videri possit à calore destitutum sangvinem aqueis humoribus respersum fuisse, morte imprimis ipsa accedente, nihilominus ab excessu frigoris non aqueus, non fluidus sed crassus evadit sanguis, fluxuique ineptus, ut in cadaveribus dissectis apparet. Hæc Bardius, qui ex Pericardio, in quo aqua perennat ad cordis æstuantis refrigerium, fonticulos hosce deducit. At dubitarunt hactenus multi, an tantum in pericardio aquæ contineatur, ut, eo aperto, evidenter profluere queat, quamvis non ignorem, esse qui in recens mortuis propter vim funesti frigoris abundantiorem esse hunc humorem statuant. *Profecto*, inquit, Cl. Dilher, (x) *hoc experientiæ reclamat. vix enim aliquot guttulis ibi inveniri, tot demonstrationes anatomicæ nos docuerunt; quæ cum sangvine promanantes nullatenus possunt animadverti.* Certe Christi pericardium isto refrigerio ferè destitutum fuisse constat ex Ps. XXII. ubi conqueritur; *Exaruit, ut testa, vir-*

(x) *de cruc. Chr. d.* 38.

sta, virtus mea, &c. Quin tundatur corpus mortuum erectum, crucivè affixum, perforetur pericardium, annon aqva ista, spiritu jam destituta, pondere que suo gravis, in ipsam potius thoracis cavitatem convestim defluat, quàm ex vulnere inflicto egrediatur. Unde vero sangvis, fonticuli instar profluens? cujus in membrana περικαρδίῳ hactenus nec existentia, nec usus commonstratus. Si qvis in cordis ventriculis sanguis, certè non fluens ille, sed totus in unam quasi massam coagulatus reperitur. Prætereà, si quod cavitatis cujusdam viscus altiùs reconditum, erecto corpore vulneretur, non tàm ex vulnere visceris, nisi mediante pulsu, sanguis progreditur, quàm in ipsam delabitur cavitatem, ibidemque in grumos resolvitur. Sed & unde constat, sinistrum & non dextrum transverberatum esse latus? Petrus Kirstenius, Medicus, Philosophus, & Arabs peritissimus ex textibus Arabicis, quibus usus est, probat dextrum fuisse latus, non sinistrum. Ipsa Viri verba hæc sunt; (γ) *Circumstantiæ sacrarum literarum utilissimæ, quæ in nullius alterius linguæ textibus reperiuntur, in Arabicis libris explicantur. Ut* v. g. *Joh.* XIX, 34. *latus illud Servatoris nostri Jesu Christi in acruce pendentis, quod militum unus lancea aperuit, dextrum fuisse, omnes textus Arabici, tum typis excusi, tum calamo exarati summa constantia docent. Minus itaque pie fecerunt, qui vere miraculosum hunc sanguinis & aquæ ex vulnere illo Servatoris nostri jam defuncti effluxum, plane naturalem esse scripserunt, statuentes in sinistro latere illum factum fuisse ob transfossam capsulam cordis. Hoc enim si verum esset, cur Evangelista, testis oculatus, versu proxime sequente tam asseveranter diceret, Et qui vidit, testimonium perbibuit, & verum est testimonium ejus, & ille scit se vera dicere*

(γ) *In Epist. Dedic. Germ. Arab. Præf. p.* 5. & 6.

dicere, ut vos credatis, &c. Utut sit; sive dextrum, sive sinistrum perfossum statuatur latus, (Quod ultimum propterea fit verosimilibus; quia sine dubio miles cor petiit, ut exploraret an aliquid vitæ superesset, utque lethali id omne uno ictu exhauriret, cor verò, utut quoad basin exactè sit in medio, mucro tamen ejus sinistram spectat, motusque in sinistro magis sentitur latere,) credere non possum, naturaliter sangvinem illico cum aqua effluere potuisse, sangvine ab aqua non diluto, sed florido atque germano, aqua quoque non infecta, sed limpida & clara. Certe qui in pericardio continetur humor, multorum Medicorum consensu, non merus est elementaris, sed colore flavus, sapore amarus, atque adeo biliosus. De quo tamen cum nemine litigii serram reciprocabo. Sufficit, non potuisse ex pericardio integrum aquæ fonticulum emanare à sangvinis latice plane non dilutum. Quapropter statuo, miraculum hic fuisse non saltem in modo effluxus, sed & quoad ipsam aquæ & sangvinis substantiam. Ita fere credidit Antiquitas, quæ etiam Apua & Sanguine duo Ecclesiæ Sacramenta notata esse pie docuit. Videatur Ambrosius, (*a*) Cyrillus, Theophylactus, (*b*) Augustinus, (*c*) Damascenus (*d*) Bernhardus *Serm: I. in octav. Pasch.* Gregorius Nyssenus *libr. de Trinit. adversus Judæos.* Chrysostomus *Homil. ad Neophyt.* Eæthymius *in cap. XIX. Joh.* Leo Magnus *Epist. X. cap. 5.* Addantur ex recentioribus Thomas, (*e*) Gerhardus, (*f*) Salmeron, (*g*) Casaubonus, (*h*) Svvaretz, (*i*) Maldonatus, (*k*) & alii, quicqvid etiam in contrarium cum & pro Calvino suo moliatur Voetius.

Non ergo crudelitas solum militum ferina in mortuum immanissimæ Hyenæ instar sævientium hac lateris

(a) lib. X. in Luc.
(b) in cap. XIX. Joh.
(c) lib. III. de Symb. c. 6. lib III. de C. D. c. 26.
(d) lib. IV. de O. F. c. 10.
(e) III. p. qv. LXVI. art. 4. ad 3.
(f) Harm. Paßion. c. XVIII.
(g) Tom. X. tr. 47. de apert. lat. Christi.
(h) Exerc. XVI. in Baron.
(i) q. si art. III. ad III.
(k) In cap. XXVII. Matt.

ris apertura ostensa, sed & per vulnus visibile vulnus invisibilis amoris erga Ecclesiam expressum, Sacramenta Ecclesiæ figurata, janua regni celestis reserata est. *Et ut quondam*, inquit Cl. Pelargus in Joh. c. XIX. *in signum pacis lancea ferri cuspide in altum elevabatur, ligno solum reconciliandos respiciente; ita in argumentum pacis & reconciliatianis cum DEO cuspis lanceæ contra Christum versa, ne contra nos divini furoris verterentur aculei.*

LXXXIX.

IOSEPHUS ab ARIMATHÆA.

Salvator mortuus dat vitam Josepho, eumq; pulso timore facit curatorem sepulturæ suæ. Certe, si Romanos mores spectemus, nihil erat periculosius, quam damnatum ad honorificam sepulturam deposcere, præcipue cruci affixum. In Christo tollendo præsentius periculum erat, quippe, qui tanquam reus majestatis damnatus esset, cui vel familiarem esse capitale erat. Nunquam à condito imperio tanta sævities fuerat, quam Tiberiano tempore, quo in carnificinam prope aula degenerarat. Testis est Tacitus, *eò progressam tum temporis crudelitatem, ut magno labore reperirentur, qui magistratum gererent. Jacuit immersa Strages; neque propinquis neque amicis adsistere, illacrymari, nec visere quidem diutius dabatur, Sed circumjecti custodes, & in mœrorem cujuscunque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis appulsa, non cremare quispiam, non contingere. Interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumq; sævitia glisceret, miseratio arcebatur.* At Josephus medio se discrimini jam manifestus confessor ingerit, & metu ac pudore omni posito audacter à Pilato corpus Christi petit ad sepultu-

Annal. lib. VI.

pulturam. Nimirum, quem vivum sequi solebat, mortuum hoc indicio pietatis prosequi volebat. Ita discipuli magistros honorabant. Apulejus de Pherecide; *Eum magistrum Pythagoras coluit, & infandi morbi putredine in serpentium scabiem solutum religiosè humavit.* Marc. *VI, 29.* Joanne decollato ἦλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἦραν τὸ σῶμα αὐτοῦ. Conf. Joh. *XX*, 15.

Marco Josephus hic dicitur εὐσχήμων βουλευτής, c. *XV*, 43. Syrus retinuit Græcam vocem βυλευτής. David de Pomis בולימוס, יועץ *Consiliarius.* Beza, *Senator.* At Vulgatus, *Decurio.* Quod frustra carpunt nonnulli. Certe qui Romæ Senatores, hi in municipiis decuriones. Id licet intelligere ex JCtorum commentariis, (a) *Decuriones*, inquit Fornerius, βουλευταὶ *dicebantur, quod consilii gratia allegerentur.* Lexicon Græco-Latinum vetus, βουλευτής *decurio, curialis.* Sic Glossarium vetus, *Decurio*, βουλευτὴς, δεκαδάρχης. Non possum tamen assentiri Lyrano, qui vult Josephum decurionem dictum, quia *fuerit de curia Præsidis.* Nam Romanorum civium consilio Præsides utebantur; imo etiam qvi jus nacti erant Romanæ civitatis, in ea provincia ex qua orti erant adsidere vetabantur. Casaubonus existimat, Josephum Arimatheæ Decurionem fuisse, argumento eo, *quod Decuriones & Curiales Græce dicantur* βουλευταὶ, *eorumque consessus* βουλή. (b) At credibilius est Josephum ab Arimathæa oriundum domicilium & sedem fortunarum suarum habuisse Hierosolymis, quo commigrare opulentiores solebant. Ratio adducta nimium generalis est, nec pro Arimathæensibus in specie quid obtinet. Qui membrum Synedrii Magni fuisse Josephum contendunt viri non vulgares, verbis Lucæ;

(a) ad tit. Dig. de verb. sign. l. CCXXXIX §. 5.

(b) l. X. ff. de pollicit.

non consensisse Josephum consilio & actibus aliorum, dicentis, nituntur. Sed incertum plane hoc est argumentum. Improbant enim multi multa etiam qui jus suffragii non habent. Deinde nondum probatum est, verba Lucæ præcise restringenda esse ad consultationem Sinedrii magni: potuit illa res agi etiam in conventu alio. Præterea non vocatur ἄρχων. qvod nomen erat τῶν συνέδρων, ut Nicodemus Joh. III, 1. Sed βουλευτὴς: quæ duo etiam Josephus distinguit. (c) Fuisse Josephum Senatorem Senatus urbis Hierosolymitanæ tutissime omnium creditur.

(c) *lib. II. de bell. Jud. c. 29.*

Additum nomen Εὐσχήμων Syrus vertit מיקרא *pretiosus, honorabilis.* Vulgatus, *Nobilis.* Euthimius, *gravis* ac *modestus.* Phrynichus de hac voce; Εὐσχήμων. Τοῦτο μὲν οἱ ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ πλουσίου, καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος τάττουσιν. Οἱ δὲ ἀρχαῖοι ἐπὶ τοῦ καλοῦ καὶ συμμέτρου. *Hanc quidem vocem* Εὐσχήμων *idiotæ ponere consueverunt pro divite & eo, qui in honore constitutus est. Antiqui vero de honesto ac moderato,* Ut hoc loco ad opes potius & honores hanc vocem pertinere censeam, quam ad mores, movet me, quod Matthæus in eadem historia narranda Josephum πλούσιον βουλευτὴν appellavit. Ergo εὐσχήμων idem erit quod πλούσιος. *Cujus notionis hæc ratio est*, inquit Cl. Salmasius, *quod* σχῆμα *in idiotismo vestem denotat.* Etiam Plauto σχῆμα usurpatur pro *veste.* Hinc εὐσχήμων pro *bene vestito*, & cui bonum Schema. Tales ut plurimum ditiores, honorati & nobiles, qui ex veste splendida dignoscuntur.

de Hellen. p. 100.

XC.

POLLINCUTRA MORTUORUM.

Funeratum esse Christum, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἰουδαίοις

ἐνταφιάζειν, memorat Johannes *c. XIX*, 40. Sepeliendi autem morem Judaicum fuſe & accurate deſcribit Rabbi Moſche Ben Majmon, hoc ſenſu; *Mos eſt in Iſraele circa mortuos & eorum ſepulturam, ut qvum quis mortuus eſt, ejus oculos occludant, & ſi os habuerit apertum, claudatur, faſcia maxillis circumligata, ne iterum aperiatur. Obthuratur etiam locus per qvem excrementa ejiciuntur, ſed hoc poſtquam corpus fuerit lotum. Ungventis deinde ex diverſis aromatum generibus confectis ungitur, &, detonſo capite, convolvitur corpus albis veſtibus lineis ad hoc ipſum paratis, & quæ non ſunt magni pretii, ut poſſit æqualitas ſervari inter divites & pauperes. Tegitur qvoq; facies mortui, priusquam imponatur feretro, ſudariolo, cujus pretium non excedat qvartam partem ſicli. Feretro deinde impoſitum, humeris hominum geſtatur usq; ad ſepulturam: & ibi anteqvam corpus tradatur ſepulturæ, quædam recitantur à majoribus eorum ad hoc conſcripta, quibus divina juſtitia commendatur, & hominum peccata exagger antur quibus mortem commeriti ſunt, ac oratur DEUS ut ita juſtitiam ſuam exerceat, ut ſe miſericordem quoque oblivíſci nolit. Poſtea cadaver ſimul cum pheretro, in quo ſupinum jacet, in fovea poſitum tegitur. Deniq; ad lugentes itur, & qvædam apud eos recitantur ad conſolandum. Quibus peractis abeunt quisq; ad ſua negotia: nec ullum diſcrimen apparet inter divites & pauperes, inter nobiles & ignobiles, nec in ſepultura mortuorum, nec in conſolatione viventium.* In Tract. de luctu. c. 4.

Ordo in pollinctura hic erat. Primùm corpus lavabatur, cujus lotionis meminit Chryſoſtomus. (*a*) Apud Romanos quoque lotionem præceſſiſſe unctionem, teſtis eſt Ennius de Tanaqvile; (*b*)

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Trojanis idem tribuit Maro, agens de exſequiis Miſeni; (*c*)

(*a*) Homil. LXXXIV. in Joh.
(*b*) libr. III. Annal.
(*c*) libr. IV. Æneid.

corpus

Corpusq; lavant frigentis, & ungunt.

[d] *libr.* IV. *Æneid.* Nec non Pœnis [d]

- - - - - Date vulnera, limfis

Abluam - - - - - - -

Ubi laviſſent, ungebant. De Judæis res expedita. Vide *II.* Chron. *XVI, 14. XXI, 10.* Jerem. *XXXV, 5.* Ungebant illi mortuorum corpora, ut diu conſervarentur, bonumque ſpirarent odorem; non ſolum teſtando amori erga defunctos, ſed etiam ob ſpem reſurrectionis. Ab Ethnicis tamen erat aſſumta hæc conſvetudo. Apud Apuleium [e] legimus mortuorum omnia membra aromatis perſperſas *Jam miseri illius omnia membra aromatis perſperſa, jam os ipſius odoro unguine delibutum.* Perſius.

[e] *libr.* III. *Florid.*

- - - Tandemq; beatulus alto

Compoſitus lecto, craßisq; lutatus amomis.

Horatius;

Unxere matres Iliæ addictum feris

Alitibus atq; canibus, homicidam Hectorem.

Conf. Plinius lib. V, ep. 16. adde &. l. XXXVII. ff. de relig. & ſumt. funer. Lucianus; καὶ μύρῳ τῷ καλλίςῳ χρίσαντες τὸ σῶμα πρὸς δυσωδίαν ἤδη βιαζόμενον. Neque tantum cadavera pretioſis unguentis delinieqantur, ſed & in rogis multa ſimul aromata cum cadaveribus cremabantur. In rogo Syllæ tanta aromatum multitudo legitur conſumta, ut imago ejus his ungventis effigiem quandam contraxerit. Ægyptiis ungendi ritum receptiſſimum fuiſſe auctores ſunt Herodotus & Diodorus Siculus. Ab illis Judæis aſſumtus, ut ex Hiſtoria Joſephi colligunt Eruditi. Erat tamen inten Ægytiorum & Judæorum in unctionem aliquid diſcriminis. Nam Ægyptii interius inungebant, eoque ventrem exenterabant & viſcera eximebant;

lib. II. *lib. II, c. 9.*

bant; ipsum cerebrum per nares extrahebant. At Judæi ungventa extrinsecus corpori applicabant, ut ex Historia Lazari resuscitati constat. A Judæis ad Christianos ungendi ritus demum pervenit. Tertullianus; *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt.* Hieronymus; *Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat; his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes.* Et Corippus de funere Justini agens:

de idolol.

in vit. Paulinæ ad Pammach.

Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, unguentaq; mira teruntur
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Corpus inunctum linteis sepulchralibus involvebatur. Herodotus Ægyptiorum pollincturam describens; λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης. Judæi in mortuis pollingendis manus demissas, & ad latera junctas simul cum ipso corpore & ad corpus ipsum institis colligabant. Deinde & pedes similibus fasciis ligabant, ut constat ex Historia Lazari, de qvo Johannes; καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. *Religatus pedes & manus institis, & facies ejus sudario erat circumligata.*

XCI.

MIXTURA MYRRHÆ ET ALOES.

De Nicodeme refert Johannes *c. XIX, 39.* qvod venerit φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. De myrrha expedita res est, fuisse myrrhæ liqvorem ac sta-

cten. Sic enim & Latini loqvuntur. *Myrrha madentes crines* apud Poëtam legas; & *crines perfundere myrrha*, apud Propertium. De Aloe vero disqviritur, an fuerit vulgaris illa & medica, an vero aromatica? Aloen medicam describit Isidorus, (a) quod fuerit *herba amarissimi succi*, ex qva succus catharticus amarissimus eliciebatur, qvi etiam ἀλόης nomine veniebat. De Aloe aromatica idem Isidorus sic scribit; (b) *Aloa in Judæa atque Arabia gignitur, arbor odoris svavissimi ac summi. Denique lignum ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen traxisse videtur.* Loqvi Evangelistam de Aloe aromatica existimat Nonnus, & recte. Aromatibus enim utebantur in ungendis & pollingendis corporibus. Hinc apud Marcum & Lucam mulieres dicuntur præparasse ἀρώματα καὶ μύρα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. At quis Aloen vulgarem inter aromata unquam recensuit, aut quid illa habet odorificum? Præterea in Scriptura Aloë juncta cum myrrha semper notat aromaticam, ut perspicienti accuratius loca omnia non potest esse ignotum. Denique ipsi Ægyptii antiquiores, quorum proprius hic mos fuit condiendorum cadaverum, aloën ullam in ista conditura usurpasse non memorantur ab Herodoto, qui præter nitrum & gummi solis odoribus & aromatis pretiosis eam procuratam narrat, myrrha, casia, & aliis multis, excepto thure. Posteriores qvidem Ægyptii etiam ἀλόην adhibuerunt cum myrrha, sed non nisi aromaticam, ut constat ex Aëtio, qvi species conditur am illorum ingressas recenset has; Ἀλόης, σμύρνης, κόμμεως ἀνὰ λίτραν α. σαρκοκόλλης λίτρας β. ἀκακίας, ὀποβαλσάμου. Non alia ibi intelligenda Aloë, qvam quæ in confectionem olei Salca & muscati ingreditur cum aliis aromaticis speciebus.

(a) cap. de Verbis.

(b) cap. de arb. arom.

libr. XI.

Quod

Quod de λίτραις ἑκατὸν memorat Johannes, signum & opulentiæ Nicodemi, & non parci in Christum affectus vult esse Grotius. Certe si per λίτραν pondus intelligimus aromatum, nimis magnum illud est, quam ut unctioni paratum existimari queat. Tutius est ut statuamus vel cum Maximo Salmasio, allatas esse ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν, non tam ut corpus Domini ungerent, quam ut pollingerent, hoc est, fasciis involverent cum aromatis: vel cum Cl. Schmidio, intelligi per λίτραν hoc loco non certum ponderis, sed nummi genus. Notare λίτραν non solum libram, sed etiam monetam certam, qvæ oboli Æginetici nomine veniat, Julius Pollux ex Aristotele probat. Certe tres aut quatuor ad summum libras aromatum condiendo uni funeri impensas legimus apud Aëtium, ubi alvus exenterata odoribus farcienda erat. Ad quid ergo tot libræ? Et qvomodo Nicodemus tantum pondus potuisset φέρειν, quod tamen hic de eo dicitur. *libr. IV. c. 24.*

XCII.

LINTEAMINA SEPULCHRALIA.

De linteis, qvibus involutum fuit post pollincturam corpus Domini, κατὰ λέξιν Evangelistæ non eadem omnes. Sindonis meminit Matthæus *c. XXVII, 59. Accepto corpore, Joseph* ἐνετύλιξεν *illud* σινδόνι καθαρᾷ. Ita quoqve Marcus *c. XV*, 46. & Lucas *cap. XXIII, 53.* Johannes vero ὀθόνια nominat; *Acceperunt corpus Jesu &* ἔδησαν *illud* ὀθονίοις *cum aromatibus. c. XIX, 40.* & *cap. XX, 6.* præter Sindonem fuisse Sudarium indicat his verbis; *Venit ergo*

Simon Petrus seqvens eum, & introivit in monumentum, & vidit ὀθόνια κείμενα *& sudarium quod fuerat super caput ejus.* Hinc putarunt nonnulli, lintea sepulcralia fuisse tria: brevius, quod *Sudarium* dicitur, & caput velabat; longum, quod *Sindon* vocatur, & nudo corpori circumvolvebatur; & fascias seu institas, ὀθόνια dictas, qvibus sindon coercebatur, & manus pedesque ligabantur. Sane Athanasius σινδόνα & ὀθόνια & σουδάριον quasi diversa nominat. ἴδωμεν πῶς δωροφοροῦντα τὸν Ἰωσὴφ, καὶ τὸν Νικόδημον συντρέχοντα, σινδόνι καθαρᾷ, καὶ ὀθονίοις καὶ σουδαρίῳ περιειλίσσοντας τὸν τοῦ παντὸς κύριον. Sed cum, qui meminere Sindonis, non nominent ὀθόνια; quique hæc expressere, taceant de sindone, credibilius est idem per sindonem & ὀθόνια signari. Conf. Sopranes.

Homil. in S. Parasc.

David. illustr p. 484.

Nimirum, ut accurate tradit Salmasius ὁ πάνυ, ὀθόνη est linteum integrum. ὀθόνην μεγάλην vocat Lucas in Actis. Hesychius; ὀθόνη, σινδὼν, ζώνη, τελαμών. Apud Homerum ὀθόνας interpretes exponunt ὑφάσματα λινά. At Sindon vel ὀθόνη in partes seu fascias scissa facit ὀθόνια & κειρίας. Certe Judæi fasciis corpora mortuorum involvebant, à pedibus usque ad fauces. Historia Lazari à Christo resuscitati hoc comprobat verbis hisce; καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, *Religatus pedes & manus institis.* Etiam verba ἐνειλίσσειν & ἐντυλίξαι in Historia sepulturæ Dominicæ adhibita satis ostendunt, fasciatim corpus Christi involutum fuisse.

Sudarium ab ὀθονίοις fuit distinctum. Nomen habet ab usu, quia sudor eo soleat abstergi. Nonnus vocem appellat Syriacam. Nec mirum, quia homo Ægyptius, Græceqve doctissimus, Latine nescivit. Sudario sepulchrali tolum caput operiebatur. De Lazaro

ad Joh. XX, 33.

resusci-

resuscitato Johannes, *ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο*, *Facies illius sudario erat ligata.* Non magnum adeo fuisse linteum apparet ex Act. *XIX*, 12. & ex variis apud τοὺς ἔξω appellationibus. *Muccinium* Arnobio dicitur. Dioni in Nerone est σινδόνιον, quod *sudarium* Tranquillo. Scholiastes Aristophanis σουδάριον veteribus notat esse τὸ ἡμιτύβιον, quod est lintei parvi genus.

Apparet exinde Vesontionum & Taurinensium impostura, qvorum illi sudarium, hi sindonem Christi sibi vindicant. Quomodo Sudarium esse potest, quod vel XII. vel IIX. pedum est, & non capitis modo, sed reliqui etiam corporis effigiem refert impressam? Linteolum quoddam fuisse Sudarium, solius capitis velamentum, supra jam dedimus probatum. Nec Sindon integra hospitibus ostendi solita majorem præ se fert verisimilitudinem. Certe Sindon illa, qua Christi corpus fuit obvolutum, integra non mansit, sed in fascias discerpta, quibus more Judæorum corpus ejus circumligatum fuit. Sindonem & fascias non fuisse diversa, censuit etiam Nonnus, cum scribit;

Λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος
Σῶμα, πολυπλέκτῳ εὐώδεϊ δεσμῷ
Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,
Multiplici circumvolutionum fragrante vinculo.

XCIII.

LOCUS SEPULTURÆ.

Extra Jerusalem crucifixus, extra quoqve Jerusalem sepultus Dominus. Habuisse Judæos loca extra urbes, in quibus funera sua sepelirent, certa res est & testatissima. Matth. *VIII*, 28, 33. Luc. *VII*, 12. Joh. *XI*, 31.

 Roma-

Romanis ab ipsis urbis primordiis idem religiosè servatum, testis est Historia. Numa Pompilius in *Janiculo* sepultus est, ut ex Cassio Hemina prisco annalium scriptore refert Plinius. Servius Tullius extra urbem sepultus est, teste Dionysio. Nec ex usu tantum, sed ex lege etiam hunc morem sanctum esse voluerunt. Ex XII. Tabulis capitulum hocce invenias apud Ciceronem; *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neq; urito.* A qvo more cum interdum recederetur, Imperatores illum aliqvot vicibus redintegrarunt. Nam D. Adrianus rescripto pœnam statuit XL. aureorum, tàm in eos qui in civitate sepelirent, qvàm ipsos magistratus, qui id passi essent, eamque pecuniam fisco inferri, & locum publicari, & corpus transferri jussit, auctore Ulpiano. De Antonino pio idipsum tradit Julius Capitolinus. *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.* Extat & de re eadem Lex Diocletiani; *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus lædatur, intra civitatem condi jam pridem vetitum est.* Apud Græcos eundem viguisse morem, testis itidem Historia. De Atheniensibus Servius Sulpitius in literis ad Ciceronem; *Ab Atheniensibus locum sepulturæ ut darent intrà urbem impetrare non potui, quod Religione se impediri dicerent.* De Sicyoniis Plutarchus: *Vetus lex humari quenquam intra suos muros vetabat.* Vide Kirchmannum prolixè hoc de aliis etiam gentibus probantem. Nata hinc fortassis solemnis illa descriptionum sepulchralium formula, ad Viatores directa, qualis apud Horatium;

lib. XIII, c. 13. *Lib. IV. de LL.* *lib. XXX. ad edict.* *C. de rel. & sumt. fun.* *lib. IV. ep. fam. 12.* *in Arato* *lib II. de fun. c. 20.*

Licebit, injecto ter pulvere, curras.

Et Virgilium, huc respicientem

-- -- -- *aut tu mihi terram*

Injice -- -- -- --

Quinti-

Quintilianus; *Ignotis cadaveribus hominum comperimus & insepultum corpus nulla festinatio tàm rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu.* *declam. V.*

Rationes, cur id omnibus ferè gentibus quasi ex condicto convenerit, ut mortuos extrà urbes efferrent, subactè congerit Joh. Hieronymus Sopranes, Jesuita. Præcipuæ erant hæ. *Prima* superstitum commoditas. Vel enim mortui comburendi erant, vel simpliciter humandi. Si comburendi, periculum erat, ne diffusus ignis vicina alimenta corriperet, & ædificia invaderet. Certè in morte Clodii à Milone occisi eodem igne, qvo ipse per tumultum à factiosis crematus est, Curia qvoqve flagravit & Portia Basilica combusta est, teste Asconio. Præterea, si qvotidiè feralis hic rogus in urbe incenderetur, ut opus erat in freqventi populo, nonne omnia ustrinæ nidore & combustorum corporum tetro halitu impleta fuissent? At verò simplex inhumatio etiam extrà Urbem, ne cadaverum putrescentium contagio aër ipse inficeretur. Isidorus; *Prius in domo sua quisque sepeliebatur, postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur.* *Secunda* causa fuit evitatio horroris, qvo viventes omnes ad adspectum mortui tacito qvodam naturæ sensu corripiuntur. Hinc antiquis sepultorum occursus aut adspectus inauspicatus habitus, ut Plutarchus tradit. *Tertia* causa, restrictior tamen, erat, ne sacris operantes pollueren tur. Hanc causam tacitè insinuat Paulus JCtus: *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis*, ut advertit Adrianus Turnebus, nisi forte existimat, ipsa sepulcra, qvæ inter sacra habentur, pollui, si tota civitas iis oppleatur.

de rit. Hebr. in fun. c. III.

lib. XIV. orig. c. 11.

in vit. Pompej.

lib. II. rec. sent. Tit. 21.

in II. de LL. Cic.

CCXL.

Qvod de communi gentium more dictum est, restrictionem admittit. Nimirum & Judæi ex singulari honoris prærogativa Viros principes in civitate sepeliebant, ut Davidis, Salomonis aliorumqve constat exemplis: & Romani. Viris rebus gestis meritisvè in Rempb. clarioribus civitatem non denegabant. Cicero interroganti Attico, *si XII. Tabb. sepulturam in Urbe vetabant, qui deinde in Urbe sepulti sint tot clari Viri?* respondet, *Credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, aut eos, qui hoc, ut Fabritii virtutis causa soluti legibus consecuti sunt.* Ad qvæ verba Turnebus. *Virorum Triumphalium, Imperatorum, summorum Ducum, Vestalium cineres in foro condi licuit.*

lib. II. de Leg.

XCIV.

HORTUS FERALIS.

lib. V. de ling. Latin.

Erigebantur sepulcra utplurimùm juxta vias publicas, qvò prætereuntes admonerent & se fuisse & illos esse mortales, ut vult Varro. Judæos tamen præter vias publicas etiam hortos sepulturæ mortuorum attribuisse, constat exemplis Manassis 2. Reg. *XXI*, 18. Amonis, ib. & Christi Domini nostri Joh. *XIX*, 41. Idem quoque usurpatum Romanis hinc indè docemur. *Caligula*, teste Svetonio, *clam in hortos Lamianos asportatus, & tumultuario rogo semicombustus levi cespite obrutus est.* De Antonino Pio Julius Capitolinus; *Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sanctè ac reverenter, atq; in hortis Domitiæ collocavit.* Reqvirebat id & functorum memoria & vivorum utilitas, de quibus prolixius Sopranes.

cap. LIX.

c. V.

l. c.

Sepelitur autem in horto Christus, *tum* quia primus homo

homo in horto peccaverat; *tum* quia ipſe in horto paſſionem ſuam fuerat auſpicatus; *tum* quia ſeminari debebat velut in horto granum illud tritici, undè fructus uberrimi Joh. *XII, 24.* quas rationes allegat Pelargus. Addunt alii alias, quas compilare noſtri non eſt inſtituti.

XCV.

SEPVLCHRVM CHRISTI.

Joſephus Dominum ſepeliri curavit ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, ut eſt apud Matthæum *c. XXVII, v. 60.* Facit huc illud Petronii;

- - - - Exciſo defoſſa marmore petra
Quinq; pedum fabricata domus, quia nobile corpus
Exigua requievit humo - - - -

Thalmudiſtæ tradunt, priſcis Judæis fuiſſe in more, ut non ſepelirentur ſinguli ſeparatim à ſuis, ſed tota familia in ſpelunca una, conditis ſingulis corporibus in ſeparatis foraminibus. Caverna erat longa ſex, lata qvatuor cubitos, habens VIII, vel (ut alii volunt,) XIII. foramina, ad ſingula corpora reponenda. Ipſum ſepulcrum vocatur קבר & חצר מות *Atrium mortis.* Conf. Moſen Ægyptium in *Jad.* Μνημεῖον ergo λαξευτὸν apud Lucam notat cavernam ſaxo conſtructam, in cujus foramine uno corpus Domini repoſitum fuit. Subterranea erat, & fornice tecta, & foramine, qvod lapide claudebatur, aperta. *Cryptam* vocabant Veteres, at *Cruptam* Sidonius, qvando, *In ſiniſtra parte*, inqvit, *eſt monticulus Golgotha, ubi Dominus crucifixus eſt. Inde qvaſi ad lapidis miſſum eſt Crupta, ubi corpus ejus poſitum fuit, & tertia die*

Thalm. part IV. lib. III, c. 6.

libr. XII. ſect. Mecira, c. [illegible]

resurrexit. Qvi ex rupe excisam esse illam Dominicam Cryptam voluerunt, inducti videntur his verbis Marci; καὶ κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας. At falluntur. Nam I. Græci πέτραν pro quolibet lapide usurpant, etiam pro cæmentitio. Apud Matthæum πέτρα ponitur pro lapide fundamentali in illis Salvatoris ad Petrum verbis Matth. *XVI.* Σὺ πέτρος εἶ, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Paulum Silentiarium πέτρας passim appellare marmora cæsa & polita, prodit Cl. Salmasius; 2. Si de rupe sermo apud Marcum, dicendum fuisset ἐκ τῆς πέτρας. Nam ἐκ πέτρας absqve articulo Græcis idem est ac ἐκ λίθου. 3. Nec λατομεῖν Græcis semper dicuntur, qvi lapides ex lapidicina cædunt, sed & qvi lapides quadrant & poliunt ad ædificandum. Hesychius; λάτομος, λιθόξοος. 4. Apud Lucam vero positum μνῆμα λαξευτὸν nihil aliud notare potest, qvam monumentum ex lapide polito atqve qvadrato structum. Nam λάξος is dicitur proprie, qvi lapides polit ac levigat. Inde λαξεύειν pro struere, λαξευτήριον pro structorum instrumento passim apud Græcos usurpatur. 5. Hortus fuit in qvo sub terra constructum Josephi monumentum, cujus solum saxosum vel scruposum fuisse, nemini, nisi qvi qvalem deceat horti agrum esse, ignorat, probabitur. Monumentum igitur illud Josephi, in qvo Christi corpus reconditum fuit, spelunca qvidem fuit, seu Crypta, & ex terra cavata, sed lapide structa & concamerata, hodiernis apothecis vinariis, qvas appellamus cavas, haud dissimilis, ut rectè docet Maximus Salmasius.

Hodierni sepulchri Dominici formam Bernhardus Bredenbachius, qvi seculum ante & qvod excurrit terram Sanctam visitavit, his verbis describit; *In medio Templi sepulcro*

CCXLIII.

ſepulcro Dominico ſuperexſtructi eſt petra exciſa quadrata, octo pedes alta, ſedecim pedes longa, octo pedes lata, marmore candido exterius obducta; Verſus ortum eſt Janua, per quam ſi quis in petram illam exciſam ingrediatur, inveniet parietem in duas æquales partes dividentem; in hoc pariete eſt aliud quoddam oſtiolum, per quod in poſticam petræ partem ingreſſus patet, in qua ad dextram verſus Septentrionem oſtenditur in pariete caverna ex marmore coloris gryſæi exciſa, trium manuum altitudine & octo pedum longitudine, pendentibus è ſublimi faculis igne perpetuo lucentibus.

Rationes, cur Dominus in alieno novoqve reqviescere voluerit tumulo, ex Patribus recenſet Pelargus, qvi videatur.

XCVI.

SAXVM SEPVLCHRALE.

De Joſepho Matthæus, *καὶ προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, ἀπῆλθεν.* Nec aliter Arabs & Vulgatus. At Syrus reddit in plurali; *Volverunt, objecerunt, abierunt:* ſubinnuens, Joſephum hoc vel per alios, vel adjuvantibus aliis, feciſſe. Erat enim *λίθος μέγας*, ſicut ejus devolutio multum ſollicitas teneret mulierculas ad ungendum Dominum feſtinantes.

Mos devolvendi ſaxum ad os monumenti Græciæ non plane erat ignotus. Homerus ubi de Hectore humato:

Αἶψα δ' ἄρ εἰς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε
Πυκνοῖσιν λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισιν.

Judæis ſemper obſervabatur. Inde Thren. *III, 53.* *Ἐθανάτωσαν ἐν λάκκῳ ζωήν μου, καὶ ἐπέθηκαν λίθον ἐπ' ἐμέ.* De ſe-

pulchro Lazari Johannes; Ἦν δὲ σπήλαιον, καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. Sine dubio id factum, ne cadaver aut sævitiæ hominum & bestiarum exponeretur, aut furtim auferretur. In sepultura Christi singulari DEI consilio id factum est, ne Christo resurgente & vi divina saxum penetrante, Judæi dicerent Christum non resurrexisse, sed Apostolos corpus ejus è sepulcro clam furatos, palam fingere eum resurrexisse. Glossa Ordinaria lapidis advolutionem mystice explicat hoc modo; *Is saxum magnum advolvit ad monumenti ostium, qui contra peccati recidivam diligens ponit obstaculum.*

Cæterum rectè notat Sopranes, advolutum esse lapidē, non ad ostium totius sepulcri, sed interioris saltem, relicto libero ingressu ad vestibulum, qvod colligitur, quia *mulieres ingressæ in monumentum,* ut narrat Marcus, *c. XVI, 6. viderunt revolutum lapidem & Angelum sedentem super eum.* Quomodo ingressæ, si negemus lapidem tantum ad conditorium ipsum advolutum, primo vestibulo patente?

XCVII.

CVSTODIA SEPULCHRALIS.

Cum principes sacerdotum ac Pharisæi, neglecta religione Sabbati, rogarent Pilatum, ut sepulcro custodiam adderet, ne discipuli corpus furtim auferrent, ac postea in plebe spargerent, eum resurrexisse; Pilatus respondet, ἔχετε κουστωδίαν. Matth. *XXVII, 65.* Τὸ Ἔχετε elegantius cum Syro & Vetere vertas per indicativum, qvam cum aliis per Imperativum. Ut sit sensus; *Abite, & porro me omittite. Habetis milites præsidiarios templi custodes. Iis utimini pro arbitrio.* Cæterum vox κουστωδίας Romana erat,

à Roma-

à Romano Præside etiam hic adhibita. Hesychius; κουστωδία, στρατιωτικὴ βοήθεια. Est autem Metonymia, *Custodia* pro *Custodes*. Nec aliter loquitur Virgilius,

— -- -- -- *Noctem Custodia ducit* libr. IX. Aen.
Insomnem ludo -- -- -- --

Et Tibullus; *Custodia victa est*, id est, *custos*. Syrus pro Custodia posuit קסטודיא, qua voce non custodiæ, sed ex recentiori ætate *Quæstionarii* nomen expressum vult Cl. Fullerus. Quæstionarii posteriori ævo vocati sunt οἱ βασάνων ὑπηρέται, ut ex Juvenalis Scholiaste probat illustris Grotius. (libr. IV. Misc. c. 17.) Certe non Judæi, sed Romani fuerunt hi milites, ex cohorte quæ parebat τῷ στρατηγῷ τοῦ ναοῦ seu ἱεροῦ, cujus mentio fit Luc. *XXII, 52.* Act. *IV, 24.* idque vel inde colligere est, qvod sepulcrum Dominicum Sabbaro custodierunt, quod Judæi ausi non fuissent propter religionem festi. Quanta vero fuerit Judæorum in appetenda militum custodia cœcitas, agnoscit Sedulius, qui non sine sarcasmo.

Consiliis armate dolos, signate sepulcrum,
Ponite custodes, monumento advolvite saxum, libr. V. Carm.
Quis poterit servare DEUM, cui cardine rerum
Cuncta patent, &c.

Quomodo is, quem inferni mortisque vincula tenere nō potuerunt, militum custodia sese detineri pateretur?

XCVIII.

OBSIGNATIO SEPULCHRI.

Veteres non ornatûs, sed signandi causâ, annulos secum circumferebant, undè nec plus habere quàm unum licebat, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret, quæ signaculo con-

tinetur, ideò jus annulorum famuli non habebant, inquit
lib. VII. Saturn. c. 13. Macrobius. De sigillis per annulos impressis contrà rapinas, legi potest Plinius. De puteis fontibusq; obsignatis Novarinus. De obsignatis per annuli inscriptionē & coelaturam schediasmatis, idem. Obsignasse autem cerâ, pice vel creta, fusè commonstrat Ludovicus Dorleans; adjunctas annis signatoriis claves, docet Justus Lipsius.

l. XXXIII, c. 1. *lib. III. elect. sacr. c. 2.* *lib. V. c. 29.* *in lib. XI. annal. Tacit. ibid.*

Sepulcrum Domini annuli quoque signatum sigillo Matthæus memorat *c. XXVIII, 66.* ut, sive vigilibus sopitis discipuli cadaver sustulissent, sivè muneribus corrupti aperuissent milites sepulcrum, & tolli defunctum dissimulassent, ex violatione impressi characteris fraus deprehendi posset. Simile qvid ex Actis S. Euplii apud Metaphrasten, loquens de carcere: *In qvem cum B. Euplius ingressus fuisset, præcepit iniquus Calvisianus carceris fores ejus annulo signari, & milites constitui, qui carcerem ipsum diligenter custodirent.*

lib. I. c. 32. Traditiones addunt apud Nicephorum: *Ab antiqvis ad nos per Traditionem derivatur, lapidem istum, quo sepulcrum vitiferum occludebatur, ad summum monumenti labrum, petramq; inferne illi se conjungentem, ferramentis quibusdam fabrili lapicidarum arte perforasse, ferrumq; ingens à fabro ex propinqvo acceptum, per utrumq; for amen immisisse, & in circi sive annuli formam circumegisse: atque ita capitibus firmiter commisis, omni ex parte, quasi vinculum, circumduxisse, ut lapis, qualicunq; modo, loco suo revelli, aut saltem ratione aliqua moveri (nisi arte quapiam & vi adbibita) necessario, aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur, non potuerit. Atq; ad hunc modum, cum magna cura, atqve etiam signo appresso, cum sepulcrum firmissime communissent, custodia insuper competenti constituta, abierunt.*

conf.

conf. Baronius lib. I. annal. an. 34 n. 115. Ut probabilem censeam hanc Traditionem, fere inducor, cum quia Beda testatur lapidem illum suis temporibus monstrasse vinculorum ferreorum, quibus sepulcro alligatus fuerit, vestigia; tùm qvia apud Evangelistam mulieres hærent, de modo lapidem amoliendi. *libr. de loc. Sanct. c. III.*

XCIX.

FVNERIS DOMINICI COMITES

De his Matthæus *c. XXVII, 61.* Ἦν δὲ ἐκεῖ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, καθήμεναι ἀπέναντι τοῦ τάφου. Nimirum quas à vivo avelli non patiebatur tenerrimus amor, nec mortuo dedisse tergum sinebat. Mariæ nomen hoc loco terminatione Græca formatur: alibi Hebraica terminatione exprimitur Μαριὰμ. Marc. *XIII, 55.* Luc. *II, 5.* Rom *XVI, 6.* Sex Mariæ in N. Testamento celebrantur. Maria ἡ Θεο-τόκος Luc. *III, 23.* Maria, Soror τῆς Θεοτόκου, qvæ primùm nupsit Alphæo, ex quo genuit Jacobum minorem & Josen, Unde & Μαρία Ἰακώβου, sc. μήτηρ dicitur Marc. *XVI*, 1. & Μαρία Ἰωσῆ Marc. *XV, 47.* Mortuo Alphæo, in torum venit Cleopæ Luc. *XXIV, 18.* vel Clopæ Joh. *XIX.*, *25.* ex quo genuit Simonem Cananitam & Judam Lebbæum. Maria Magdalena, quæ oriunda fuit è Magdalis, Matth. *XV, 39.* indeque nomine non proprio, sed gentili Μαγδαληνὴ à patria fuit cognominata. Maria soror Lazari & Marthæ, cujus κώμη Bethania fuisse dicitur Joh. *XI, 1.* non ratione dominii, sed patriæ. Maria, Mater Johannis, τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου Act. *XII, 12.* Denique Maria Romana, quam Paulus à se salutari petit, Rom. *XVI, 6.* Hoc loco Mariæ Magdalenæ expressa fit mentio.

Per

CCXLVIII.

Per *aliam* autem *Mariam* intelligi Sororem Virginis Deiparæ conferenti *versum 61.* cum *v. 56.* planum est.

C.

VLTIMVM OFFICIVM.

Apud Petronium matrona Ephesina, quæ maritum extulerat, sepultum etiam non deserebat. *Non contenta*, inquit, *funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in Conditorium etiam prosequuta est defunctum.* Et mox; *cœpisse deindè corpus ritè locatum custodire, ac totis diebus & noctibus deflere*

De muliereulis nostris idem ferè testatur Matthæus, *c. XXVII, 61.* quod nempe *consederint è regione monumenti*, quod eorum proprium erat, qui lugubria peragebant officia, non apud Hebræos solum, sed & alias gentes. Statius; (*a*)

(*a*) *libr. V. Sylv. III, v. 65.*

- - - Tepido genitrix super aggere nati
Mœsta sedet - - - - - -

Tibullus; (*b*)

(*b*) *libr. II, Eleg. 7.*

Illius ad tumulum fugiam, supplexq; sedebo
Et mea cum muto fata querar cinere.

Propertius (*c*)

(*c*) *libr. III. Eleg. 15.*

Adferet huc unguenta mihi, sertisq; sepulcrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Hinc factum fortasse, ut *sedem* pro *sepulcro* usurparint.

Virgilius; (*d*)

(*d*) *libr. VI. Æneid.*

Sedibus *hunc refer ante suis, & conde sepulcro*

Idem;

- - - - *quam* sedibus *ossa quierunt.*

TANTVM.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM IN SECULA! AMEN.



INDEX NOTARUM PASSIONALIUM.

INDEX.

INDEX.

LOCORUM S. SCRIPTURÆ, qui vel expositi, vel illustrati, vel vindicati.

VI, 12.

I, 29.

INDEX.

CAP

INDEX AUCTORUM, QUI IN HOC OPUSCULO citantur, & vel laudantur, vel confutantur.

Camera-

INDEX.

Snedrianus

VOCES HEBRÆÆ ET SYRIACÆ
expositæ vel vindicatæ

INDEX.

VOCES GRÆCÆ EXPOSITÆ vel vindicatæ.

Indi-

INDEX.

INDICULUS RERUM & VERBORUM.


Legio


Pilatus

 Subsan.

INDEX.






005647251



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967

ÖSTERREICHISCHE FLORENZ-HILFE
AKADEMIE FÜR ANGEWANDTE KUNST IN WIEN
RENOVIERT 1967